

10  
9  
25

# CONSTITUTIONES

Clericorum Regularium

a Somasca

CONSTITUTIONES

## EDITIO QUINTA

nuper revisa et reformatâ



RAPALI  
HOLA TYPOGRAPHICA "EMILIANI"  
M C M L V I I

S

900

S

10

9

25

# CONSTITUTIONES

Clericorum Regularium

a Somascha

---

**EDITIO QUINTA**

nuper revisa et reformata



RAPALLI  
E SCHOLA TYPOGRAPHICA "EMILIANI"  
M C M L V I I

P. Sabæ de Roccho Præp. Generalis  
de Constitutionibus declaratio et monita

Initio rerum omnium grates Deo agamus,  
venerabiles fratres, quod benigne et largi-  
ter nobis in Constitutionibus renovandis at-  
que edendis opitulatus optatam metam con-  
tingere dedit. Deinde ac statim inter nos ipsi  
hortemur oportet, ut non modo libentes hunc  
librum accipiamus, sed etiam summo amore  
foveamus habeamusque in deliciis, quippe  
quibus ex sacra fide persuasum esse debeat  
hoc Dei ipsius donum esse, omnia naturæ  
bona exsuperans et solida illa sanctitatis ad-  
iumenta præbens, quibus recta ad eiusdem  
Dei conspectum unionemque et nos perve-  
niamus et alios perducamus. Plurimum enim  
refert quo animo in has leges simus, æquo et  
puro an securus, ut iure dici possit iam hinc

pendere omnes fructus ex vitæ religiosæ laboribus percipiendos.

Hæc Constitutionum editio multo minor videri potest quam quæ abhinc triginta annos foras data est. Nemo tamen putet quidquam deperditum esse aut commoditatis causa prætermissum ex iis quae in superioribus editionibus continebantur.

Nam præter ea quæ novis et reformatis subeuntibus omnino antiquari debuerunt, reliqua in suum quidque libellum partite et distincte colligentur hoc modo: ritus et cæremoniæ in unum "Rituale" confluent; documenta et præcepta virtutum et quidquid ad profectum spiritualem spectat, novum "Directorium asceticum" conficient; quæ vero in officiis, muneribus, personis, operibus versabantur, in "Directorium usuale" excipientur, illis additis, quæ interea usus et dies atque etiam ars docuerunt incremento esse nostris institutis sive domibus in quibus iuvenes ad vitam religiosam conformantur, sive orphanotrophiis sive ephebeis aut parœciis.

Quo fiet ut in maxima rerum operumque varietate unam faciem unamque mentem Or-

do omnis præseferat. Illud etiam eventurum speramus ut ex rerum divisione ipsæ vivendi et agendi normæ melius ediscantur et diligentius, amantius, ferventius, pressius serventur.

Cur autem hæc Constitutionum correctio iam anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo facta non sit, quo anno Codici iuris canonici accommodatae prodierunt, facile responderi potest. Etenim cum Ordo noster eo quidem tempore ita angustiis premeretur ut numerus sodalium infra tertiam partem esset quam nunc est, domus excolendis iuvenibus religiosis admodum paucæ, pauci etiam qui in nostram religionem cooptarentur, nemo fere quidquam immutandum esse censuit præter ea quæ ipse Codex prorsus præscripsisset.

Non defuerunt tamen egregii quidam viri, qui iam tum meliora in posterum auspicati suaderent ut in gubernando Ordine ea emendarentur quæ eum veluti coartarent aut minus temporibus apta viderentur. In iis perenni memoria digni sane sunt Patres Ioannes Baptista Turco et Angelus Maria Stoppiglia,

qui primi etiam et consiliis et gravibus laboribus operam dederunt colligendis alienisque pueris qui nostrum habitum induere vellent.

Itaque numero religiosorum aucto, dominibus ad iuvenes religiose informandos non uno loco exstructis, spes tandem certa affulsit fore ut brevi maiores vires Ordo universus caperet. Quod quo melius efficaciusque eveniret, Constitutionibus renovandis manus admovit P. Ioannes Ceriani, venerabilis recordationis vir, remque certo absolvisset nisi bello primum, deinde valetudine et morte impeditus aliis hoc negotium relinquere esset coactus. Id naviter suscepit Pater Iosephus Brusa aliquique, nec pauci, pro virili parte adiuverunt, donec totum opus iudiciis trium Capitulorum generalium expensum est ademum confectum, P. Cæsare Tagliaferro Præposito generali.

Hæc inter nemo tantam rem sibi cordi esse non est testificatus. Qua ex voluntatum conspiratione consensuque novus quidam vigor ac veluti iuventus in omnem Ordinem permanavit, vehementiusque curari ab

omnibus et singulis cœptum est quidquid ad vitam et opera nostra attinebat. Factum est igitur ut dum ex immanis belli parietinis vetera orphanotrophia restituuntur et nova ædificantur, hæc quoque restitutio ad fastigium educeretur ipso anno Mariali millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Virgine Maria scilicet auxiliante, quæ Somaschæ ad eiusdem anni celeberrimi memoriam nostræque devotionis immortale monumentum coronata est sub titulo Matris orphanorum Capituli Vaticani decreto.

Hic vero quærendum existimamus probetum quod fecimus, divo Hieronymo parenti nostro. Nos id quidem confidimus. Nihil aliud enim nos impulit nisi illius spiritus, quo nostræ Constitutiones et ipsa vita atque industria omnis nostra semper vigeat necesse est.

Quam ob rem ne quid miri insolitive ex hac nova Ordinis administrandi ratione expectetis, fratres, sed novos stimulos atque incitamenta, quo uberiorem messem ex ve-

stris laboribus feratis propiusque sancti Conditoris exempla et vestigia persequamini, his præsertim temporibus et moribus, quibus plerumque iuventus parentibus orbata esse videtur vel si parentes superstites habeat, et ita iacet ut numquam fortasse antehac miseriis de se spectaculum præbuerit.

Considerantes igitur quam excellens sit finis, quem nobis proposuimus somaschensem Ordinem ingressi, inter nos artius coniuncti laboremus et ante oculos semper habeamus oportet quanti officia religiosa sint facienda, non extrinsecus ex fastu aut specie, sed intrinsecus ex divina illorum origine, ut scilicet Provinciæ, domus, sodales omnes sint "cor unum et anima una" simulque ut sua quisque industria per se ad meliora eritatur nec tamen a recta communique via declinet. Quod sane fiet, quem ad modum semper factum est, si "per veram humilitatem, perfectam obœdientiam, abnegationem abdicationemque voluntatis" virtutæ cursum "in via Christi Domini ad bravium perfectionis" dirigamus.

Hoc igitur cum tamquam semen Constitu-

tiones contineant, nostrum est efficere ut in arborem, in fructusque succrescat. Nam omnibus veritas sententiae elucet, qua dulcis Parens et Fundator nos iugiter monere videtur: nos omnia posse, cum Deus nobis numquam sit defuturus (ex divi Hieron. Æmil. ep. III).

DECRETUM

Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum  
Sodalium præposita, precibus Capituli Ge-  
neralis Ordinis Clericorum Regularium a  
Somascha benigne adnuens, mutationes et  
additiones afferendas supra dicti Ordinis  
Constitutionibus ultima vice anno 1927 ap-  
probatis attente examinatas in Congressu  
excussit atque in nonnullis emendavit.

Præsentis Decreti tenore, immutationes et  
additiones prout continentur in hoc exem-  
plari, cuius autographum in Archivo eius-  
dem Sacræ Congregationis servatur, ap-  
probat et confirmat experimenti causa ad  
duodecim annos.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.  
 Datum Romæ, ex Ædibus S. C. de Reli-  
 giosis.

die 20 Februarii A. D. 1957

VALERIUS CARD. VALERI

*Præfector*

P. ARC. LARRAONA SECR.

L. ✠ S.

URBANUS PAPA VIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacrosanctum Apostolatus officium humi-  
 litati nostræ per ineffabilem divinæ sapien-  
 tiæ providentiam commissum iugiter Nos  
 admonet, ut inter gravissimas multiplicesque  
 Apostolicæ servitutis curas, illam peculiari  
 studio amplectamur, per quam Christi fide-  
 les sub suavi religionis iugo virtutum Domi-  
 no famulantes sub certis et provide ordinatis  
 statutis atque constitutionibus in sanctitate  
 et iustitia, felicioribus in dies proficiant in-  
 crementis, ac proinde iis, quæ propterea  
 statuta et ordinata sunt, ut ab omnibus ad  
 quos spectat inviolabiliter observentur per-  
 perpetuaque roboris firmitate subsistant, Apo-  
 stolicæ confirmationis patrocinio communi-  
 mus, prout conspicimus in Domino salubri-

ter expedire. Sane dilectus filius Ioannes Antonius Palinus Procurator Generalis Congregationis Somaschæ, alias Sancti Maioli Papien. et Doctrinæ Christianæ Regni Franciæ, suo et dictæ Congregationis nomine nobis nuper exponi fecit, quod pro felici et prospero eiusdem Congregationis regimine atque gubernio, nonnullæ Constitutiones diversis temporibus factæ, novissime vero per Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Regularium præpositos recognitæ et in unum volumen compilatæ fuerunt.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes Antonius Procurator Generalis nominibus prædictis, præinsertis Constitutionibus pro perpetua illarum subsistentia et inviolabili observantia Apostolici nostri muniminis firmitatem per Nos adiici summopere desideret Nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos inviolabili earumdem Constitutionum observationi, quantum Nobis ex alto conceditur, consu-

lere, nec non dictum Procuratorem Generalem ac totam Congregationem prædictam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de eorumdem Fratrum consilio præinsertas Constitutiones Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo approbamus et confirmamus illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus omnesque et singulos tam iuris quam facti, quantumlibet substantiales, defectus, si qui in illis intervenient, supplemus; decernentes easdem Constitutiones, necnon præsentes litteras semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore; nec non in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, in-

violabiliter sub poenis in eisdem statutis comminatis observari et adimpleri debere, ac quoscumque eiusdem Congregationis Superiores, Presbyteros et personas ad plenariam illorum observationem omnibus iuris et facti remedii cogi et compelli posse, sicut per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac quibusvis aliis dictæ Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis quibusvis ipsius Congregationis Superioribus, Presbyteris et personis huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodo-

libet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscator. die 5 Maii 1626. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Locus ✠ Sigilli.

V. THEATIN.

## **LIBER PRIMUS**

---

### **DE ORDINIS REGIMINE GENERALI ET PROVINCIALI**

#### **CAPUT I**

#### **DE ORDINIS FINE, INSTITUTIS ET PERSONARUM VARIETATE**

1. Clericorum Regularium hūmilem hunc Ordinem Pater Hierónymus Æmilianus beatæ recordationis patricius vénetus in Dei Ecclesia, divino afflante nūmine, strenuam, quæ Christo militaret, véluti aciem excitavit anno salutis humanæ MDXXVIII. Huic a Somascha exiguo pago, ubi primum illius fundamenta sunt iacta, nomen est.

2. Eum autem finem ardentissimus ille noster Parens sibi et suis commilitonibus propositum esse voluit, ut contemplatricem vitam simul cum actuosa coniúngerent; maxime vero próximo adiuvando, quibuscumque piis divinae caritatis opéribus possent, ferventissime consúlerent. Quo factum, ut priscis illis tempóribus "Operum et Pauorum Patres" primum Nostri vulgo nuncuparentur. Itaque varia eademque in Ecclesia Dei ámodum utilia caritatis ac pietatis plena instituta, Summorum Pontificum assensu a prima usque origine complexus est. Nam, ante omnia, eorum, qui fortunis destituti et parentibus orbati orphani appellantur, curam tum in iis quæ ad animæ tum in iis quæ ad corporis cultum pértingent, súscipit.

3. Deinde adolescentes et in Seminariis ex sacri Concilii Tridentini decreto institutis et in collegiis, ad christianam pietatem doctrinarumque studia excólere nítitur.

4. Postremo ne, dum alienæ saluti invíglitat, propriæ indormíre videatur, claustralium

collegia, véluti propria domicilia, tamquam palæstras habet, ubi milites sui, ab omni rerum et negotiorum cura vacui et liberi, piis vitæ contemplatricis exercitationibus uni Deo addicti, ad spiritualem sese pugnam et profectum instruunt maioráque in dies ad proximorum etiam salutem subsidia derivare contendunt. Nam et sacramentis ministrandis et Missarum sacrificiis celebrandis et sacris concionibus lectionibusque habendis atque aliis piis opéribus exercendis christiano populo prodesse conatur, præcipue vero fidelibus in doctrina christiana erudiendis.

5. Omnim autem, ex quibus universus hic Ordo constat, duæ sunt classes: áltera sacerdotum et clericorum, áltera eorum qui fratres nuncupantur. Céterum communis est nostra vivendi ratio et eiúsmodi, ut non difficile sit cuilibet eam complecti, quippe quæ nec magnam austeritatem, neque severiorem corporis afflictionem indúcat: sed per veram humilitatem, perfectam obœdientiam, abnegationem abdicationemque propriæ voluntatis in via Christi Domini Nostros ad bra-

vium perfectionis perdúcat. Quamóbrem cum primum fructuosis Christi Domini Ecclesiæ incrementis cœpitadoléscere, eum sanctus Pontifex Pius V, anno salutis nostræ MDLXVIII, octavo idus decembris, Pontificatus anno tertio, in Religionum numerum cooptavit et sub Regula sancti Patris Augustini reposuit. Tum sequens annus sexagesimus nonus, nuncupatis a primis nostris patribus sollemni ritu professionis votis, tertio kal. mai., sancto Petro Martyri sacro die, Deo bonorum omnium auctore feliciter annuente, felix ac faustus natalis illuxit Ordini. Quem céteri deinde Summi Pontifices, quotiescumque tulit occasio, auctoritate sua comprobarunt et confirmarunt, necnon gratiis ac privilegiis quam plurimis exornarunt.

## CAPUT II DE ORDINIS REGIMINE

6. Ordini gubernando præsunt generale Capitulum, Definitorium atque Consilium pro competentia unicuique a Constitutionibus stabilita.

7. Personæ autem quæ Ordini gubernando præsunt sunt Præpositus generalis eiusque Vicarius generalis, qui ipso iure primus Consiliarius quoque est. In adiutorium insuper ipsius Præpositi generalis, unusquisque pro suo munere et officio iuxta Constitutiones, sequentes Officialles designantur, scilicet:

1º Tres alii Consiliarii generales, quorum electione ultimus est etiam Cancellarius generalis;

2º Procurator generalis cum facultatibus a Constitutionibus ad suum officium explendum definitis. Hi omnes nomine Dignatum vel Officialium his in Constitutionibus designabuntur;

3º Quibus adnumerandi sunt et Adsistentes generales, ii scilicet qui Præpositi generales fuérunt.

8. Ordo in Provincias distribútus est, quarum unicuique præsunt Præpositus provincialis atque Capitulum provinciale; assumuntur insuper in adiutorium ipsius Præpositi

provincialis Consiliarii provinciales cum competentia in Constitutionibus definita.

9. Dignitates generales æqua ratione inter Provincias distribuantur; in eádem tamen persona numquam coniungantur cum múnere aut dignitate provinciali, nec cum múnere quidem Superioris localis, nisi gravi de causa auctoritatéque Capituli eas eligentis.

10. Præpositus generalis ad sexennium éligitur, quo elapso, ad áterum éligi potest, non tamen ad tertium immediate sequens. Réliqui vero Officiales generales, licet et ipsi ad sexennium elegantur, semper tamen íterum éligi possunt.

11. Cessante a múnere, durante sexennio, aliquo Officiali generali, Præposito tamen generali excepto, aliis, qui in illius locum suffícitur, solum usque ad sexennium explatum in múnere manebit.

12. Cessante ab officio Præposito generali, réliquæ Dignitates generales in múnere permanebunt tantum usque ad Capitulum

generale convocatum pro electione novi Præpositi generalis et ad normam n. 23.

### CAPUT III DE CAPITULO GENERALI CONVOCANDO

13. Capitulum generale convocatur a Præposito generali aut, cum per ius ei licet, a Vicario generali litteris ad Præpositos provinciales et ad Superiores locales missis, idque fieri debet tribus saltem mensibus ante eius initium. Convocatione legitime secuta, ius ad Capitulum celebrandum pertinet ad eos qui præsentes sunt die in convocatione statuto, dímmodo duæ tertiae partes convocatorum adsint et is cuius auctoritate Capitulum indictum est; eorumque actus validi atque legitimi sunt.

14. Membra Capituli generalis sunt:  
 1º Præpositus generalis;  
 2º Vicarius generalis et réliqui tres Consiliarii generales;  
 3º Procurator generalis;

- 4º Adsistentes generales;  
 5º Præpositi provinciales eorumque duo priores Consiliarii, tamquam a Provinciis singulis delegati;  
 6º Vice-provinciales, de quibus n. 101, cum suo primo quisque Consiliario.

15. Omnibus, de quibus n. præcedenti, ius est et officium ad Capitulum interveniendi. Causæ cur quis excusetur ne interveniat, casibus urgentissimis exceptis, graves esse debent et legitimæ declarandæ a Præposito generali eiusque Consilio, cui eædem utili tempore significantur. Substitutus Præpositi provincialis impediti est eius Consiliarius primus; substituti duorum Consiliariorum provincialium sunt reliqui Consiliarii provinciales, ratione ordinis electionis hábita. Idem dicatur de substitutione Vice-provincialis eiusque primi Consiliarii. Nulla prorsus substitutio habetur si quis ex reliquis Capitulo interesse néqueat.

16. Præpositus generalis potest, si id opportunum æstimaverit, ad Capitulum gene-

rale arcéssere unum plurésve religiosos vel ad res singularis momenti enodandas vel ut se certiorem faciant de quæstionibus maximæ gravitatis. Hi vero sessionibus tantum intérsumt ad quas convocantur nec ullo modo gaudent iure suffragii.

17. Capitulum generale convocatur singulis sexenniis et quotiescumque ad normam Constitutionum eligendus est novus Præpositus generalis.

18. Intra sexennium Præpositus generalis, gravissimis de causis et Consilio generali consentiente atque Sede Apostolica permitente, Capitulum generale extraordinarium convocare potest, etiámsi nulla electio facienda est; quo in casu, iidem convocandi sunt qui statuuntur n. 14.

19. Locus Capituli generalis celebrandi est Curia Præpositi generalis vel alia Ordinis domus a Præposito generali electa, Consilio etiam per litteras auditio. Tempus præstatuitur a Præposito generali aut a Vica-

rio generali, hanc facultatem habente, de Consilii sui consensu. Illi autem eiusque Consilio, gravi de causa, licebit hoc tempus vel accelerare vel differre, non tamen ultra tres menses.

#### CAPUT IV

#### DE CAPITULO GENERALI CELEBRANDO

20. Die aperiendo Capitulo statuta, post preces cæremoniasque ex Ritualis norma confectas, Præpositus generalis orationem habebit, qua patres docebit quid in suo generalatu égerit qualisque sit status Ordinis.

21. Quo ordine negotia tractanda sint, a Constitutionibus atque Rituali definitur. Si qua tamen dubitatio vel in rebus agendis vel de Capituli actuum validitate oriatur, hanc solvat Præpositus generalis eiusque Consilium aut, electionibus nondum finitis vel nondum perfectis, Præpositus generalis vel Capituli Præses, adhibitis in consilium

quattuor patribus professione religiosa senioribus, nisi ea sit rerum grávitas, ut totius Capituli votum requírat.

22. Sessiones ad electiones faciendas inçipient matutino conventu postridie quam Capitulum apertum est, nisi tamen ipsum Capitulum alias quæstiones, quæ sint magni momenti neque differri possint, ante dirimendas iudicáverit.

23. Initio sessionum ad electiones faciendas, Præpositus generalis et reliquæ Dignitates múnere cessant, sigillo deposito. Vicarius generalis autem, isque tum etiam cum ipsi convocandi Capituli munus obtigerit, aut, eo impedito, Consiliarius generalis ordine illi electionis proximus, Capitulum administrat auctoritate plena et Præsidis nōmine, quoad novo Præposito generali electo múnneris sigillum tradíderit ex Ritualis præscripto. Quod exsecutus, ab iniuncto officio cessabit, cum ipsius Præpositi generalis sit Capitulum dein administrare atque ducere. Cancellarius generalis tamen quæ

agantur exscribere eorumque documenta, si quæ necessaria sint, præparare debet, quoad novus Cancellarius creatus erit.

24. Patres secretum servare tenentur de iis omnibus quæ in Capitulo fiunt et tractantur, ut ex iuris iurandi formula quod præstare debent in primi diei consessu.

25. Sessionibus ad electiones faciendas hábitis, Capitulum quæstiones et negotia de-liberanda suscipiet, quæ eius iuris sint, ut ex n. 43. Quibus definitis, Præpositus generalis potest, si opportunum videbitur, arcēsere ad se patres, qui id ius habent, ad Definitorium generale celebrandum.

## CAPUT V

### DE RATIONE ELIGENDI

ET

### DE SUFFRAGIIS FERENDIS

26. In muniberis officiisque eligendis cum generalibus tum particularibus voce passiva gaudent omnes religiosi, qui iis requisitis

prædicti sint, quæ seu a iure communi seu a nostris Constitutionibus præscribuntur ad ipsa múnera obeunda. Si autem impedimentum obsit super quo dispensari possit ac sóleat, tunc admittitur postulatio ad normam sacrorum canonum.

27. De electione Præpositi generalis vide n. 51. Ad reliqua múnera Curiæ generalis éligi possunt religiosi sacerdotes qui, præter do-tes a iure communi vel a nostris Constitutionibus requisitas, saltem triginta quinque annos nati sint et a decem saltem annis pri-mam professionem emiserint; nequæ ulla cen-sura vel infamia iuris sint affecti, post sen-tentiam tamen declaratoriam vel condemna-toriam; neque voce activa vel passiva ca-rentes sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi sive ex Constitutioni-bus; neque se ab oboedientia subtráixerint extra claustra, nulla permissione hábita, ul-tra mensem viventes (cfr. cn. 504).

28. In electionibus conficiendis serventur ordo et normæ in Rituali et in Constitutio-

nibus præscriptæ. Ante tamen quam ad eligendum accédat, electores iure iurando confirmare debent se illos electuros, quos ad múnera idoneos iudicáverint, non tamen seipsos (cfr. cnn. 506 § 1 et 170).

29. Ad Præpositum generalem vel Capituli Præsidem in electionibus et in colligendis discernendisque suffragiis iuvandum creentur scrutinio secreto et maioritate relativa tres scrutatores, qui per totum Capituli tempus hoc múnere fungantur (cfr. cn. 171 § 1).

30. Qui electioni præsentes áderunt proprio voto renuntiare néqueunt, tamétsi áli ter sentiant quam decerni viderint. Is autem pro absente habebitur qui hora statuta non adsit. Eius tamen absentia electio non vitiatur. Si quis supervénerit suffragiis nondum ad finem perlatis, admitti potest ad suffragium suum ferendum, neque tamen quidquam renovetur aut immutetur.

31. Etiámsi íntegra res sit adhuc, néquedum electio promulgata, nemini tamen liceat

schedam semel in urnam illatam revocare aut suffragium commutare, quacumque protestatione posthábita.

32. Nemini licet aliis suffragium a se datum manifestare. Item minime liceat sibi vel alii suffragia quærere; fas nihilóminus est quid quis sentiat cum alio communicare, dímmodo id ad maiorem atque certiorem rerum hominumque notitiam habendam spectet.

33. Ut quis eligatur, obtineat oportet maiorem suffragiorum partem a Constitutionibus præscriptam in unoquoque casu; suppeditatio vero votorum ex solis suffragiis validis facienda est. Paribus suffragiis, qui senior a priore professione vel, tempore professio nis pari, qui ætate proiectior sit, is electus esto. Si quo in casu Constitutiones sileant, servetur cn. 101 § 1, 1º.

34. Qui ad aliquod munus eligatur, id tamquam a manu Dei accipiat. Nulla igitur ab

dicatio permittatur, quam duæ tertiae partes electorum non comprobarint.

35. Qui electus consénserit eo ipso confirmatus habeatur, nisi in Constitutionibus múnieris confirmatio requiratur aut electus impedimento aliquo detineatur. Quo in áltero casu, consulatur quid de postulatione ius commune décréverit (cfr. cnn. 179-182).

36. Cum vero in Capitulo de uno ex partibus ágitur aut si eius electio cálculis subbicitur, is e conclavi egrediatur; item egrediantur consanguínei eius et affines in primo et secundo gradu inclusive.

37. Quidquid in quæstionibus negotiisque Capituli iudicio decernendis conclúdi placat, id ratum habeatur per suffragia secreta et maiore suffragiorum parte absolute obtenta; nisi per verbum "placet" omnes in eamdem sententiam convenient. Ubi tamen paria conspírent suffragia, postquam iterum ad ea ferenda iam deventum fúerit, Præpositus generalis rem absolvere potest.

38. Schédulæ suffragiorum vel quidquid id fuerit quo suffragium latum sit, ínspecti et recognosci possunt ab eo qui Capitulum regit et a scrutatoribus. Scrutinio peracto, schédulæ comburantur (cfr. en. 171 §§ 2 et 4).

39. Quæ hic de suffragiis ferendis præscribuntur, ea, congrua congruis referendo, in omnibus electionibus et suffragationibus vim habent, a quocumque collegio electio fit, nisi in peculiaribus casibus áliter expresse a Constitutionibus decernatur.

## CAPUT VI

### DE ELECTIONIBUS IN CAPITULO GENERALI FACIENDIS ATQUE DE EIUSDEM COMPETENTIA

40. Capitulum generale Dignitates hoc ordine éligit:

- 1º Præpositum generalem;
- 2º Vicarium generalem;
- 3º Réliquos tres Consiliarios, singillatim;
- 4º Procuratorém generalem.

41. Præpositus generalis duabus saltem tertiiis suffragiorum validorum partibus eligitur. Quæ nisi statim habeantur, perfici possunt per cálculos, ut infra n. 42. Si ne ita quidem electio fiat, ad álteram suffragiorum lationem per schédulas deveniatur, item perficiendam, si opus erit, per cálculos. Sin prædicta ratione nullus electus reperietur, ad suffragationem tertio deveniendum erit; in qua tamen et exinde usque ad finem electionis, satis erit ad eligendum Præpositum generalem maior pars absolute sumpta. Reliquorum Officialium generalium electio statim habebitur cum maióritas absoluta obtenta erit.

42. Itaque electionem, in qua maior suffragiorum pars præscripta non habebitur, calculorum latio sequatur semel atque etiam iterum, si necessarium erit; in eáque, servato ordine professionis, ii in quæstionem venient quibus suffragia obtigerint. Quod si ne hac quidem ratione ullus electus reperietur, ad suffragationem per schédulas regrediendum erit et, si necesse fuerit,

ad duas calculorum lationes quoad electio tandem fiat. Attamen ad calculorum iudicium post tertiam suffragationem per schedulas factam ii tantum vocabuntur qui in ultima suffragatione saltem quinque suffragia obtinuerint, initio ducto ab eo cui plura data sint. Calculorum iudicium tamen, nisi re confecta, manifestari non potest.

43. Prætérea Capituli generalis competencia est:

1º Emanandi decreta generalia ad cultum divinum, vitam regularem, studium disciplinarum sacrarum profanarumque spectantia;

2º Vigilandi consulendique quo maiora Ordo eiusque vita et institutiones incrementa accipient;

3º Interpretandi ex auctoritate Constitutio-nes easque, si opus fuerit, reformati, salvo sequentis numeri præscripto;

4º Iudicandi in controversiis de competencia et ordinandi quæstiones et negotia pro eorum momento et gravitate ac decernendi

quibus personis physicis aut moralibus reservanda sint.

44. Nulla accessio aut immutatio in Constitutiones introducatur quam non comprobaverint duo Capitula generalia immediate subsequentia quamque Sedes Apostolica non confirmáverit.

45. Electionibus confectis, litteræ ad Capitulum missæ legantur, in quibus ipsi Capitulo aliquid propositum aut communicationum fuerit; nihil tamen decernatur, rebus minoris momenti exceptis, quæ etiam aliis decernendæ committi possunt vel patribus rerum perfitis inter se consociatis vel singulis. Réliquæ quæstiones suo quæque tempore atque ordine tractentur.

46. Ex patribus si quis quid propónere voluerit, id scripto faciat, et Patri generali tradat, eidemque vel Consiliario ad id ab eo delegato rem illustret.

47. Præposito generali eiúsque Consilio facultas reservatur prævio exámine perpen-

dendi ea quæ a nostris religiosis Capitulo propósta vel communicata fuerint; nihil tamen réici potest, nisi ratione ipsi Capitulo réddita cur reiciatur. Nihilominus Præpositus generalis cum suo Consilio reícere potest, nulla Capitulo notitia data, propositionem vel communicationem, a quovis missam, si id, ex iis quæ ipse secreto cognoscit, aestimabit contra bonum commune fore. Quo in casu moneatur is qui proposúerit, ne in re perstet.

48. Præterea Præpositi generalis eiusque Consilii est statuere quo quæque res vel negotium ordine decernendum sit, ut ex n. 43. Patres vero de negotiis maioris momenti pridie certiores fiant quam éadem decernantur.

49. Ratio proponendi erit huiusmodi: Præpositus generalis rem agendam declarabit eamque vel ipse per se vel alias eius iussu opportune illustrabit, sua tamen sententia reticita. Deinde omnes patres, initio a Vi-

cario generali et ab aliis Officialibus generalibus facto, suas sententias dicent; dénique ipse Præpositus generalis, ántequam ad cálculos veniatur, rem paucis iterum expónet et suam sententiam dicet.

50. Si qua res tamen graviores difficultates habeat, ut post longam disceptationem quid faciendum sit plane nondum líqueat, Capitulum elígere potest unum vel plures patres, qui eam peculiariter pertractatam ex solvant referántque quid definiendum probent, aut qui eam omnino definiant ut sibi visum fuerit.

## CAPUT VII

### DE MUNERE ET AUCTORITATE PRÆPOSITI GENERALIS

51. Praepositus generalis éligi potest qui non solum ea habeat, de quibus in numeris 26 et 27, sed etiam qui quadraginta annos saltem expléverit et ex legitimo matrimonio natus sit.

52. Officium primum Præpositi generalis est curare sive sua vivendi ratione sive sua docendi atque gubernandi actione ut efflóreant virtutes religiosæ, regularis disciplina, studia sacra et profana, ad normam iuris communis decretorumque cum Capituli generalis tum Sanctæ Sedis.

53. Generalatus sexennio Præpositus generalis universa Ordinis loca domosque per se ipse invíset. Quo in múnere obeundo iuvari potest a Vicario generali vel ab aliquo ex Consiliariis generalibus.

54. Præpositi generalis quoque est non modo Capitulo, Definitorio Consilioque generali præésse, sed etiam opera Consilii sui adhibita invigilare Præpositis provincialibus, quo pacto Provincias administrent.

55. Præcipuam vero curam Præpositus generalis adhibébit tum de omnibus dómibus quæ iuvenes ante religiosam vestitionem accipiunt probandatusque vocantur, tum de iis quæ ad religiosos informandos sive in

novitiatibus sive in sédibus studiorum constitutæ sunt. Neque solum curabit ut Præpositi provinciales ibidem religiosos virtutibus ingenioque præditos et tanto muneri aptos præponant, sed etiam ut illæ peculiares leges observentur, quæ pro ipsis informandis sanctitæ sunt; ut serio litteræ excolantur et præsertim ut formationis ratio ubique locorum éadem sit.

56. Céterum ipsius Præpositi generalis auctoritas ea est quæ definitur iure communi (cfr. cnn. 501-517), Constitutionibus atque privilegiis.

57. Præpositus generalis potest, ad normam n. 156, in peculiaribus urgentibusque casibus declarative, ut dicitur, aliquam constitutionem interpretari. Habet etiam facultatem omnes et singulos in nostra Religione professos iubendi virtute sanctæ obedienciarum iisque censuras ecclesiasticas irrogandi, servatis de iure servandis.

58. Síngulis insuper quinquenniis Sanctæ Sedi præscriptam relationem de statu Re-

ligionis per documentum suo et Consiliariorum nomine obsignatum mittet (cfr. cn. 510). Prætérea, expleto generalatus tempore, coram tribus patribus a Capitulo generali per vota secreta constitutis, rationem redditat de administratione communis ærarii.

59. Præposito generali præcedentiæ honor et titulus "Reverendissimi Patris nostri" ab universo Ordine tribuatur, præter ea reverentiæ signa illi cum consuetudine tum privilegiis nostris concessa. In eius sigillo Ordinis nostri insigne et hæc verba inscripta sint: PRÆPOSITUS GENERALIS ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM A SOMASCHA.

## CAPUT VIII

### DE MUNERE ET AUCTORITATE VICARII GENERALIS

60. Vicarius generalis secunda dignitas Ordinis est et de iure primus Præpositi generalis Consiliarius atque adiutor; cuius auctoritas ordinario modo in ipso Consilio ge-

nerali locum habet et illis in rebus quas Constitutiones expresse decernunt; extraordinario autem quotiescumque Præpositus generalis impeditur quóminus múnere fungatur suo vel eum ad áliquod officium delegat.

61. Si contígerit ut Vicarius generalis ante sexennium exactum officio excédat, alius Vicarius generalis a Definitorio eligatur; intérea tamen Consiliarius próxime electionis ordine sequens munus atque officia Vicarii, non nomen titulumque suscípiat.

62. Præposito generali a múnere ante generalatum exactum cessante, Vicarius plena auctoritate generali Ordinem administrabit usque ad Capituli generalis celebratio nem. Quæ tamen cum primum pótterit facienda est, ad normam n. 19.

63. Administrante Ordinem Vicario generali, ut supra dictum est, Consiliarius generalis, qui illi proximus électione est, múnera quæ cónpetunt Vicario generali su-

scipiet. Idem autem Consiliarius, si Vicarius generalis quoque officio césserit dum supremum régimen exercet, reget Ordinem universum auctoritate plena ac titulo Vicarii generalis usque ad novi Præpositi generalis electionem.

64. Vicarius generalis sigillo utétur stemma Ordinis referente cum his verbis: VICARIUS GENERALIS ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM A SOMASCHA.

## CAPUT IX

### DE CONSILIO GENERALI

65. Præpositus generalis Consilium habet ex quattuor patribus constans, quorum primus Vicarius generalis est, postremus Cancellarius generalis. Procurator etiam generalis inter Consiliarios adscríbi potest iusta de causa et de sententia Capituli generalis.

66. Si unus vel plures Consiliarii genera les officio césserint, Definitorii est suc-

cessores elígere ad normam n. 41; intérae Fræpositus generalis, réliquis Consiliariis consentientibus, unum vel plures sibi elígere potest Pro-consiliarios; sed horum munus cessabit ubi Definitorium celebrari cœptum erit.

67. Si autem contigerit ut Præpositus generalis, in cásibus extraordinariis, suos Consiliarios convocare non possit ad súbitam deliberationem faciendam, in qua vel consensus vel sententia Consiliariorum præscribatur, Consiliarios ad actum nominare potest eorumque opera uti ad negotium illud instans exsolvendum. Postea tamen ordinario Consiliariorum cœtui referre debebit quidquid égerit in eiúsmodi cásibus. In céteris cásibus fideliter serventur quæ n.78 præscribuntur.

68. Potestas Consiliariorum collegialis solúmmodo est; sínguli vero eam tantum facultatem habeant quam Constitutiones illeis expresse tribuerint vel Præpositus generalis delegáverit.

69. Consilium ígitur generale, ut regendi consiliandíque instrumentum:

§ 1. Est auxilio Præposito generali in eius múnere fungendo; quod faciet sive dirimendis quæstionibus ad Ordinis vitam pertinentibus, sive dómibus religiosis visitandis, sive in eius loco ad cœtus provinciales interveniendo, sive consiliando eiusque animum inter ardua sustinendo, sive etiam commonendo, si quid is prætermittere aut omittere vidébitur;

§ 2. Invígilat ut in Provinceis atque in omnibus domibus Constitutiones observentur ac præsertim ut ubíque éadem vivendi ratio atque disciplina vígeat;

§ 3. Diuñdicat confirmátque Acta Capituli provincialis, adest Præposito generali in litteris documentisque publicis conficiendis, in iis præsertim quæ Sanctæ Sedi vel Capitulo generali mittenda erunt, atque in compendis normis Præpositis provincialibus destinatis;

§ 4. Ex iuris communis atque ex Constitutionum præscripto vel etiam ex Capituli

generalis peculiaribus statutis dat Præposito generali consensum vel consilium quotiescumque id ad agendum requiritur.

70. Consilium generale his in casibus præsertim habet votum deliberativum:

§ 1. In nominatione Visitatoris pro universo Ordine;

§ 2. In nominatione Æconomi generalis;

§ 3. In dimissione professorum a votis siue temporariis sive sollemnibus, ad normam iuris communis;

§ 4. In nominatione Præpositorum provincialium ceterorumque Officialium provincialium, si quando Capitula, a quibus eligendi sunt, habéri néqueant vel ipsæ electiones declaratae fúerint irritæ vel non confirmatae;

§ 5. In adprobatione annuæ administrationis Præpositorum provincialium necnon Superiorum earum dómuum quas sustinére totius Ordinis intérsit;

§ 6. In confirmatione deliberationum quas sacri canones, Constitutiones vel particula-

ria Capituli generalis præscripta Consilii consensui reservent;

§ 7. In iis denique admittendis quæ Præpositi provinciales eorumque Consilia pròponant circa:

1º Novarum dómuum novitiatumve erectionem vel suppressionem, servatis tamen de iure servandis;

2º Superiorum localium, parochorum, vel Magistrorum novitiorum nominationem.

71. Ad hæc tóties Præposito generali ad agendum necesse erit Consilii consensus, quoties a iure communi, Constitutionibus vel Capituli generalis peculiaribus decretis expressis verbis præscríbitur. Qui tum quoque requiritur cum negotium Præposito generali eiusque Consilio demandari dicitur.

72. Consiliarii, quantum fieri potest, Romæ domicilium habére debent et quidem in Curia generali. Quod si id peculiaribus de causis fieri non possit, saltem duo, in quibus sit Vicarius generalis, ibi hábitent;

réliqui in iis dómibus, unde facile ipsis sit in Consilium accúrrere, ad quod semper ac- círi debent.

73. Excepto casu necessitatis de quo supra, n. 67, si unus vel duo Consiliarii rite convocati a Consilio absint, acta ipsius Con- siliī minime írrita erunt, dum adsit is qui ex auctoritate Consilio præsit et duo saltem Consiliarii. Quodsi numerus Consiliariorum plenus requiratur, Præpositus generalis, de Consiliariorum præsentium consensu, unum alterumve Pro-consiliarium éligat, qui Con- siliariorum absentium loco sint illa tantum in re.

74. Cum Consilium consultandum est, id vera congregazione ac cœtu fíeri debet; ne- que per epistolas Consiliarii sententiam suam dicere possunt, nisi in iis tantum cásibus, qui expresse a Constitutionibus indicantur.

CAPUT X  
DE PROCURATORIS GENERALIS  
MUNERE

75. Procuratoris generalis est negotia Re- ligionis apud Sanctam Sedem pertractare. Quo in múnere fungendo non subícitur ne- que Superiori locali neque provinciali; quin etiam, si necesse fúerit, a communibus ob- servantiis immunis erit. In Visitatione ca- nonica quoque respondére debet de sua a- gendi ratione quátenus religiosus, non de múnere sibi iniuneto.

76. Tantum auctoritatis habebit quantum a Constitutionibus et a Capitulo generali eídem concessum fúerit; procriptionis au- tem mandatum, pùblice in ipso Capitulo lectum, in Actorum librum referatur.

77. Ad Procuratorem pértinet impetrare a Sancta Sede indulta, gratias et dispensatio- nes pro Ordine, collegio, domo vel privato áliquo religioso et pertractare lites nostras aut negotia, quæ romana in Curia peragen- da sint.

78. Quæ vero ad universum Ordinis statutum referuntur aut Constitutiones tangunt, ne aggrediatur nisi hábita nominatim a Capitulo generali vel a Definitorio facultate; neque præter ea quæ n. superiore recensúimus, quidquam aliud pertractet sine consensu et mandato Præpositi generalis.

79. Procurator generalis prohibétur pétre quocumque modo, sine expresso Capituli generalis mandato, litteras vel vivæ vocis oracula, quibus Ordinis gubernatio varietur aut Constitutiones immutentur; prohibétur etiam sua auctoritate illi favére, qui cumque is est, qui id facere audeat. Quidquid contra hoc præscriptum actum fuerit, írritum esto.

80. Summam omnium negotiorum et libelorum súpplicum quæ ad ipsum mittuntur eorumque progressum atque éxitum in librum referet diligenterque describet quæ quidque ratione procédat. Pari diligentia describet quæ ratione expensas fécerit quantumque pecuniæ sibi crèditum fúerit.

81. Testimonia negotiorum scripta in tabulario Procuræ summa diligentia conservet, eorumque ídicem rénovet, ut semper in promptu omnino sit. Virtute autem sanctæ obœdientiæ adstríngitur ne quam e tabulario scripturam documentumque asportet. Quod si fáceré ausus fúerit, patres Definitorii eum privent voce activa et passiva per tempus ipsorum iudicio et iuxta culpæ gravitatem constituendum.

82. Ad sua autem múnera officiáque persequenda Procurator generalis in Urbe habitabit, neque a múnere removéri póterit ante tempus a Constitutionibus præfixum inconsulta Sancta Sede (cfr. cn. 517 § 2).

83. Quod si forte Procuratorem generalem defícere contingat, alium Definitorium éligeret; intéra tamen Præpositus generalis eiusque Consilium aliquem ex religiosis ea cum auctoritate, quæ sibi vidébitur, subrogare póterit.

84. Procurator generalis dénique sigillo utétur stemma Ordinis referente hisque ver-

bis insignito: PROCURATOR GENERALIS ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM A SOMASCHA.

### CAPUT XI

#### DE CANCELLARIO GENERALI

85. Consiliarius generalis, qui fúerit electione postremus, múnere Cancellarii generalis fungétur idémque tabellionis seu notarii pro negotiis ecclesiasticis universi Ordinis. Hoc autem in múnere per totum sexennium permanebit, tum quoque cum alii Consiliarii generales eligantur ad illos sufficiendos qui ab officio cessáverint. Excipitur tamen illud de quo n. 63; quo in casu officium Cancellarii amandábitur állii Consiliario generali designando a Præposito generali vel a Vicario generali.

86. Eius autem est scribere ac in librum Actorum Capituli generalis referre quæ a Capitulo, a Definitorio, a Consilio generali dicta factaque sint, et insuper acta electio-

nis ex Constitutionum Ritualisque præscriptis. Cum vere tabellio seu notarius quoque sit, suo nōmine subscripto vim pùblici instrumenti huiúsmodi actis decretisque tribuit (cfr. cn. 503). Nihilominus hæc omnia præterquam a Cancellario, subscribenda sunt etiam a Præposito generali.

87. Sub formali præcepto sanctæ obœdientiae Cancellarius iubetur ne cui Actorum Capituli generalis librum ostendat, neu quidquam exscribat aut exscribi permittat, nisi de Præpositi generalis licentia.

### CAPUT XII

#### DE DEFINITORIO GENERALI CELEBRANDO EIUSQUE MUNERE

88. Definitorium generale alternis annis a Præposito generali vel eius iussu a Vicario generali convocatur; nihil tamen impedit quin sæpius habeátur, vel ad novas generales Dignitates eligendas, vel aliis de causis, de Præpositi generalis sententia, audito Consilio.

89. Ad Definitorium generale convenire debent:

1º Præpositus generalis cum suis Consiliariis;

2º Procurator generalis;

3º Præpositi provinciales;

4º Adsistentes generales.

90. Definitorio præsidet Præpositus generalis vel, eo impedito eiusque mandato, Vicarius generalis. Si hic quoque impediatur, is Consiliarius Definitorio præsidebit, qui illum electionis ordine sequitur. Si quis alius substituendus erit, substituatur ad n. 15 normam.

91. Locus vero et tempus Definitorii a Præposito generali statuuntur, Consilio auditio; ne convocetur tamen nisi post annum saltem a celebrato Capitulo generali.

92. Definitorium id sibi præcipue pertractandum suscipit, quod ad ipsam Ordinis gubernationem in concreto spectat, atque Con-

stitutionum decretorumque Capituli generalis observantiam curat.

93. Peculiari vero modo Definitorii competentia hæc est:

1º Erigere vel supprimere Provincias religiosas vel mutare earum fines, ad normam iuris communis;

2º Sufficere novos Officiales generales iis qui decurrente sexennio a munere cessaverint, excepto Præposito generali;

3º Consilere domibus, quæ toti Ordini peculiari utilitati sunt;

4º Condiciones statuere ad recipienda pia legata;

5º Pecuniam decernere ex communi capsula accipiendam, qua domibus vel Provinciis nimia inopia laborantibus subveniatur;

6º Rationem inspicere administrationis bonorum communium;

7º Remedia decernere quibus graves abusus, si qui sint, in Ordine corrigantur;

8º Perpendere ea quæ vel proposta vel forte expostulata fuerint de Præpositorum

provincialium Superiorumve gubernio; opportuna ad id remedia excogitare atque præcipere.

94. In celebrando Definitorio eadem cæ-  
remoniae Ritualis nostri sequendæ sunt eæ-  
demque normæ ac in Capitulo generali, mu-  
tatis mutandis.

### CAPUT XIII

#### DE PRÆCEDENTIA

95. In nostro Ordine præcipua et maxima dignitas est Praepositi generalis; secunda Vicarii generalis; tertia Consiliariorum generalium, in quibus idem præcedendi ordo est atque in electione; quarta Procuratoris generalis; quinta Præpositorum provincialium; sexta Adsistentium generalium; septima Superiorum localium, dein Consiliario-  
rum provincialium et Vicesuperiorum.

96. Ordo igitur sedendi et præcedendi lo-  
cus ex n. superiore desumitur atque ex prioris professionis religiosæ antiquitate; inter

autem professione æquales, ætate maior mi-  
niores præcedat. Si quis tamen pro aliqua  
Dignitate ad modum actus vice fungitur seu  
repræsentat, is eiusdem locum honorémque  
obtineat.

97. Provinciales autem et Superiores lo-  
cales, si illi extra suam Provinciam, hi extra  
suam domum versantur, ante religiosos illius  
domus sédeant. Vicesuperior post Superiorē  
sédeat, nisi contigerit quod supra iam díxi-  
mus; post Vicesuperiorē reliqui religiosi  
ordine ex professionis antiquitate desum-  
pto.

98. Clericus sacris initiatus alios non ini-  
tiatos quamvis professione seniores præcé-  
dit. Fratres coadiutores professi post cleri-  
cos, novitii ante hóspites et aggregatos lo-  
cum teneant. Inter novitios præcédet qui  
primus ad novitiatum receptus fúerit; si quis  
novitius tamen sacris initiatus sit, reliquos  
præcedat.

**CAPUT XIV**  
**DE PROVINCiarum REGIMINE**

99. Ordo noster in Provincias divisus est (cfr. cn. 488, 6º), quas erigere, supprimere, aliter circumscribere Definitorii est, salva Sedis Apostolicæ adprobatione (cfr. cn. 494 § 1).

100. Definitorii quoque est creare, vel mutare, vel supprimere tria hæc Instituta iuridica, quæ Provincias imitantur, scilicet:

1º Commissariatum, qui ex una vel pluri-  
bus dómibus constitúitur et súbditur imme-  
diata Præposito generali ac régitur potestate  
ab ipso delegata;

2º Vice-provinciam dependentem, in qua  
áliquae domus habentur ad peculiarem Pro-  
vinciam pertinentes cuius véluti subdivisio-  
nem constítuunt, sub dependentia respecti-  
vi Præpositi provincialis;

3º Vice-provinciam independentem, idest  
Institutum iuridicum, sub dependentia im-  
mediata Præpositi generalis, Provinciam ita  
reproducens ut reápse, progressu temporis,

vera proprióque nómine Provincia fíeri pos-  
sit.

101. Regendæ Provinciæ præsident sua  
quisque auctoritate, ut inferius indicábitur,  
Præpositus provincialis et Capitulum pro-  
vinciale. Commissariatu præest Commissa-  
rius, Vice-provinciæ dependenti Vice-pro-  
vincialis, uterque a Consiliariis suis adiútus  
éaque auctoritate pollens, quam erectionis  
decretum continebit, vel delegabunt Supe-  
riores vel Capitula, quibus súbiacent. Régi-  
men déniue Vice-provinciæ independentis  
idem est quod Provinciarum et, nisi quid, ex-  
pressis verbis, erectionis decretum excípiat,  
quidquid in Constitutionibus de Provinciis  
earumque régimine sancítur, id etiam ad  
hanc ipsam extendendum est.

102. Munus Præpositi provincialis cum no-  
vitiorum Magistri officio seu prioris seu al-  
terius probationis, aut parochi ónere cumu-  
lari nequit. Coniungi tamen intérdum pôte-  
rit cum Superioris localis múnere, nisi aga-  
tur de domo nimis onerosa, et ínsuper iusta

causa adsit ex iudicio ac sententia Consilii provincialis plenarii.

103. Præpositus provincialis ad triennium éligitur; iterum tamen éligi potest, non autem tertio immediate. Réliqui Officiales provinciales quoque ad triennium eliguntur, semper tamen iterum éligi possunt.

104. Dignitates provinciales, Præposito provinciali excepto, quæ, decurrente triennio, suffectæ sint in locum eorum quibus fuerit officio abeundum, solum usque ad triennium completum múnere funguntur.

105. Cessante ab officio Præposito provinciali, réliquæ Dignitates provinciales non cessant, nisi cum ex Constitutionum præscripto Capitulum celebratur ad novum Præpositum provinciale creandum.

106. Illæ autem normæ iuris necnon Rituialis, quæ statuuntur pro Capitulo ac Consilio generali, vim servant et pro respectivis cœtibus provincialibus, servatis servandis et

congrua congruis referendo; nisi ipsæ Constitutiones vel Rituale áliter in re sántian.

## CAPUT XV

### DE CAPITULO PROVINCIALI CONVOCANDO ET DE IIS QUI AD ILLUD CONVENIRE DEBEANT

107. Capitulum provinciale a Præposito provinciali convocatur vel ab eo qui id ius hábeat ex Constitutionum præscripto, litteris ad Superiores locales duobus saltem mensibus ante eius initium missis.

108. Ad Capitulum provinciale convenire debent:

1º Præpositus generalis eiusve Delegatus;

2º Præpositus provincialis cum suis quattuor Consiliariis;

3º Superiores domorum cum formatarum tum non formatarum omnibus;

4º Socius pro unaquaque maiore communitate in qua videlicet adsint saltem sex electores, ut ex n. sequenti.

109. Socius autem, quem supra nominávimus, a domus communitate eligendus est; qua in electione voce activa pollent omnes sacerdotes professi ad normam n. 259, passiva sacerdotes omnes dótibus prædicti, de quibus sermo est nn. 26 et 27, excepta aëtate, pro qua satis est ut quis trigésimum annum compléverit.

110. Socius in Capitulo collegiali elígitur præsidente Superiori locali. Huic adsistunt duo scrutatores, iidémque professione seniores, et actuarius qui quæ gesta erunt describet atque in Actorum librum réferet. Electores vero, in deponenda schédula nómine sui candidati inscripta, iurabunt a se illum electum iri quem coram Deo idoneum existimáverint, non tamen seipso. Quo facto, Superior a scrutatoribus adiútus, suffragia numerabit. Is tum electus esto qui obtinúnerit maioritatem suffragiorum relativam. Documentum dénique electionis a Superiori locali et ab actuario nomínibus suis insgnítum ac réferens quantum suffragiorum quisque religiosus habúerit mittendum est

ad Præpositum provinciale, cuius est una cum Consilio electionem ipsam confirmare, sed ea tantum ratione ut certo comperiatur Socium electum dótibus præditum esse de quibus n. 109.

111. Socius tunc quoque eligendus est quamvis in communitate maiore religiosus adsit præter Superiori qui ius hábeat ad Capitulum provinciale interveniendi; sin autem ex eádem domo plures præter Superiori id ius hábeant, nullus Socius eligatur.

112. Religiosus extra suam Provinciam cónmorans voce activa et passiva gaudet in electione Sociorum Provinciæ in qua vivit; in eiusdem tamen Capitulo provinciali voce tantum activa pollet, passiva vero in Capitulo Provinciæ cuius filius est.

113. Nómina eorum, qui Capitulo intérerunt, per litteras a Præposito provinciali communicabuntur Superioribus localibus

eiúsdem Provinciæ necnon Præposito generali. Quo facto, confirmata habébitur et elec-  
tio Sociorum et Capituli convocatio.

114. Si quis ex iis qui Capitulo interesse debent, convenire non pôterit, substituatur ad normam n. 15; Superior quisque per proprium Vicesuperiorum; Socii autem substi-  
tutus is erit, qui illi proximus in electione número suffragiorum fûerit. Causa vero cur quis absit, comprobanda est a Præposito provinciali eiusque Consilio, cui declaran-  
da erit opportuno utilique tempore.

115. Capitulum provinciale sínkulis trien-  
niis convocabitur et quotiescumque ex Con-  
stitutionum præscripto novus Præpositus provincialis eligendus erit. Quo tempore ta-  
men munus obit, Præpositus provincialis po-  
test, de sui Consilii et Præpositi generalis  
consensu, Capitulum provinciale extraordinariorum celebrare, cuius convocatio et ipsa  
celebratio iísdem legibus reguntur ac Ca-  
pitulum provinciale ordinarium.

116. Locus atque celebrationis tempus a  
Præposito provinciali eiusque Consilio sta-  
tuuntur.

**CAPUT XVI**  
**DE CAPITULO PROVINCIALI**  
**CELEBRANDO**  
**EIUSQUE MUNERE**

117. Capituli provincialis competentia hæc  
est:

1º Elígere Præpositum provincialem eius-  
que quattuor Consiliarios, singillatim;

2º Meditari ac præscribere quo pacto in  
Provincia Constitutionum Capitulorumque  
generalium statuta optime quam fieri possit  
observentur necnon Instituta Provinciæ au-  
geantur;

3º Perpéndere litteras quibus aliquid fa-  
ciendum propónitur; quæ tamen litteræ  
prævie perscrutandæ sunt in Consilio pro-  
vinciali pleno, ad normam n. 47, congrua  
congruis referendo.

118. Præpositus provincialis éligitur se-  
quenti modo: in primis duabus suffragatio-

nibus ac subsequentibus calculorum lationibus, is electus esto qui duas tertias suffragiorum partes habuerit; inde a tertia suffragatione, qui maiorem partem absolute sumptam obtinuerit. Ad Consiliarios autem provinciales eligendos requiritur omnino maioritas absoluta. Qua non obtenta, in electione sive Præpositi provincialis sive Consiliariorum, post quartam suffragationem ac calculorum lationem, ad Præpositum generalem eiusve Delegatum nominatio devolvatur.

119. Capitulo provinciali, ne invalida eius Acta fiant, interesse debet Præpositus generalis eiusve Delegatus. Quod ita tenet, ut tantummodo gravi de causa et de sui Consilii consensu ipse Præpositus generalis huic condicioni derogare possit. Hoc tamen in casu per litteras normas dabit, quæ ad Actorum Capituli validitatem habendam observandæ presse erunt.

120. Electiones tum confirmatae habendæ erunt cum Præpositus generalis eiusve

Delegatus ipsam electionis relationem subscripterit; quæ relatio ad Ritualis normam conficienda erit. Si tamen gravissima causa adsit, peculiaribus in casibus, Præpositus generalis eiusve Delegatus electiones confirandas committere potest Consilio generali; quæ si forte confirmatae non erunt, Consilio generali faciendæ devolvantur, iure Capituli provincialis in posterum integræ.

121. Cetera, quæ Capitulum provinciale deliberaverit, adprobari debent ad validitatem a Præposito generali eiusque Consilio, cui intra decem dies post Capitulum confectum exemplar Actorum mittendum est. Si adprobatio denegetur, Præpositus generalis Præposito provinciali communicabit quid interea agendum sit. Semper tamen responsio Præpositi generalis, qualiscumque hæc erit, in Capituli provincialis Acta referenda est et in tabulario Provinciæ adservanda.

122. Præses Capituli Præpositus generalis est eiusve Delegatus, qui principe loco

sedebit. Permittente tamen Præside, moderari Capitulum poterit Præpositus provincialis vel, eo nondum electo, primus Consiliarius provincialis.

### CAPUT XVII

#### DE MUNERE ET AUCTORITATE PRÆPOSITI PROVINCIALIS

123. Præpositus provincialis si eligi potest, qui dotes habeat de quibus nn. 26 et 27 atque ex legitimo matrimonio natus sit.

124. Præpositus provincialis potestatem ordinariam in Provincia sibi credita habet. Quæ auctoritas seu potestas ea est quam Constitutiones expresse decernunt et ius canonicum Superioribus maioribus tribuit (cfr. can. 501-517), nisi quid Constitutiones nostræ excipiant.

125. Præpositi provincialis competentia hæc est:

1º Ad postulatum et ad novitiatum admít-

tere; tempus postulatus aut novitiatus prorogare ad normam iuris communis; postulantes vel novitios dimittere; novitios ad professionem simplicem admittere, clericos ad primam tonsuram ordinesque promovere, necnon professos simplices ad professionem sollemnem admittere, ad normam Constitutionum et Codicis iuris canonici;

2º Jurisdictionem concédere ad sacramentales confessiones audiendas suorum subditorum ad normam can. 875 § 1; licentiam concédere ad audiendas confessiones fidelium et ad prædicandum verbum Dei, servatis cænonum præscriptis;

3º In virtute sanctæ obœdientiæ subditis præcipere et censuras ecclesiasticas cum iisdem adhibere, servatis de iure servandis;

4º Subditos intra suam Provinciam degentes ob necessariam urgentemque causam, quæ moram non patiatur, ad alium eiusdem Provinciæ locum destinare;

5º Nominare examinatores pro candidatis ad professionem religiosam vel ad ordines sacros et pro novis sacerdotibus;

6º Perágere ex Præpositi generalis delegatione negotia reservata.

126. Quod autem attinet ad deliberationes et nominationes de quibus n. 137 ad normam n. 70 § 7, exsecútor est Præpositus provincialis, qui ígitur et Superioribus localibus vel Magistris novitiorum nominationem communicabit, et Ordinario loci parochos præsentabit.

127. Témpore sui múnēris canonicaṁ visitationem in omnibus domibus péraget idque faciet ad Constitutionum Ritualisque normam, atque secundum ea quæ Præpositus generalis præcéperit. Quo in officio gravi tantum de causa ab aliquo Consiliariorum substítui potest.

128. Peculiari modo Præpositi provincialis est domus formationis curare ibique optimum quemque religiosum addícere, ac simul operam dare ut augeatur numerus eorum qui in Ordinem nostrum cooptari cūpiunt.

129. Præpositus provincialis debet etiam ad Præpositum generalem transmíttere exemplar Actorum omnium sive Capituli sive Consilii provincialis; ad hæc etiam singulis annis relationem de Provinciæ statu, quam ipse subscríbet Consiliariíque eius.

130. Si quando Præpositus provincialis ab officio cessáverit, gubernationem Provinciæ suscipiet primus electionis gradu Consiliarius ut Pro-provincialis; is autem statim hac de re certiore faciet Præpositum generalem, cuius est, hoc in casu, de sui Consilii consensu, diem statíere convocando Capitulo ad novum Præpositum provincialeм creandum: quæ convocatio tamen ultra annum numquam prorogari pótterit.

131. Provincialium unusquisque sigillum hábeat, in quo insculptum sit Ordinis nostri insigne his verbis circumscriptum: PRÆPOSITUS PROVINCIALIS ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM A SOMASCHA.

**CAPUT XVIII**  
**DE CONSILIO PROVINCIALI**

132. Præpositus provincialis Consilium habet ex quattuor patribus compósum.

133. Consilium plenum non solum requíritur in casibus quos Constitutiones vel ius canonicum indicant, sed quotiescumque Consilium nominationes facit ad aliquod officium vel cum munus iudicandi ut collegium exercet. In aliis casibus, quotiescumque in Constitutionibus vel in iure communi de Consilio Præpositi provincialis sermo est, duo saltem Consiliarii ibi intelligi debent, firma tamen obligatione convocandi toties quoties Consiliarios omnes ad normam n. 140.

134. Ad illum vero qui ex Consiliariis primus electus sit, Vicarii provincialis munus pertinet, isque iisdem officiis subicitur, mutatis mutandis, quibus Vicarius generalis cum Præposito generali comparatus. Alter Consiliarius Cancellarium ager cum in Capitulo tum in Consilio provinciali.

135. Si Præposito provinciali ita vidébitur, licet officium Cœnomi provincialis uni ex Consiliariis provincialibus committere.

136. Si forte unus vel plures Consiliarii ab officio cessáverint, Præpositus generalis eiusque Consilium, Provinciali audito, alios sufficiat. Qua in re, si nihil obstiterit, ita est ordinandum Consilium ut præcedentia inter Consiliarios servetur ex ordine electionis.

137. Consilium provinciale plenum suffragiis secretis ea negotia decernit, quorum deliberationes ad Præpositum generalem eiusque Consilium subiciendæ sint ut confirmatæ habeantur, ad normam n. 70 § 7, idemque bona Provinciae administrat.

138. Præterea Consilium provinciale:  
 1º Præpositum provinciale ádiuvat et consiliatur in eius munere, ac peculiari modo in documentis officialibus conficiendis;  
 2º Præposito provinciali consilium vel consensum præbet ubicumque Constitutiones vel ius canonicum id postulant;

- 3º Economum provincialem nominat;
- 4º Cónsulit familiis religiosis formandis;
- 5º Acta præparat, quibus opus est ad dimittendos professos ex Ordine;
- 6º Quotannis ínsipit qua ratione bona dómuum Provinciæ administrentur.

139. Munus Consiliariorum provincialium collegialiter exercetur; itaque tum solum réliquos religiosos præcedunt in sua Provincia, cum ad decernendum conveniunt.

140. Ad normam Constitutionum et iuris communis, quotiescumque necessitas id requírat, Consiliarii provinciales a Præposito provinciali convocantur. Qui semper et omnes convócandi erunt, sive ágitur de Consilio pleno sive non; ita ut Consilium, ad validitatem actus, in cásibus ubi Consilio pleno opus sit, semper ex quattuor Consiliariis, in cásibus vero ordinariis ex duobus constet, dímmodo adsit et is qui ex auctoritate ipsi Consilio præsit. Si autem unus vel alter Consiliarius absit, ad complendum nú-

merum præscriptum, de quo supra, Præpositus provincialis vel qui eius delegatione Consilio præsidiens, in absentium locum alios religiosos éliget ad actum, tamquam Proconsiliarios.

## CAPUT XIX

### DE SACRA VISITATIONE

141. Munus visitandi totius Ordinis domos ad Præpositum generalem périnet; ad diuturnam tamen regularis disciplinæ conservationem et ad totius administrationis onus facilius sustinendum, idem munus ex iure obtinent etiam Præpositi provinciales, unusquisque in singulas domos ac personas sibi subjectas.

142. Itaque in ipsa sacra visitatione standum est præscriptionibus et normis Ritualis nostri.

143. Quoties Visitator visitationem péragat non ex proprio officio, sed nōmine et vice Præpositi generalis vel provincialis, lit-

teras commissi sibi múnneris a cancellario domus vel a primo capitulari post Supériorem pérlegi iubebit.

144. Visitatione peracta, ad normam Ritualis, decreta, si quæ erunt facienda, cum Superiore illius domus communicabit et capitulum collegiale convocari iubebit.

145. Corrigere autem debebunt Visitatores culpas omnes, quæ córrigi possunt, nec eas ad Definitorium deferre, nisi ex earum suppressione grave aliquod detrimentum Ordini timeatur; quod idem de pravis propensionibus statútum sit.

146. Demum Visitator decreta facta pérlegi eáque in libro Actorum collegii scribi mandabit, quæ succendentibus Visitatoribus exhibéri debébunt.

## CAPUT XX

DE NOVIS DOMIBUS  
ERIGENDIS SEU RECIPIENDIS

147. Nova loca si proponentur, illud in primis animadventent patres, satius esse fundatis iam bene providére, quam nova recipere, personarum, quibus novis locis est subveniendum, hábita ratione.

148. Etsi compérerint tum novo loco suscipiendo tum antiquis iam susceptis bene providéri posse, sciant nihilominus observanda esse ea quæ ius commune præscribit hac in re circa domus religiosas, scholas, hospitia aliáque similia instituta religionis et caritatis sive quoad erectionem et suppressionem sive quoad vigiliam Ordinarii loci (cfr. cann. 496-498, 1382, 1491).

149. Post hæc Præpositus provincialis, priúsq[ue]am receptio novi loci proponatur Consilio ad normam n. 137, destinabit duos ex Nostris qui conventiones, ónera et qualitates loci, situs videlicet, aëdificia, prospec-

tus, vicinia et huiusmodi diligenter exáminent, an scilicet in iis aliqua reperiantur, quæ religiosæ libertati seu decóri adversentur; an ab acceptis dómibus témporis progressu ulla de causa éici possint religiosi nostri; reditum temporalium non sola habeatur ratio, sed profectus in vinea Domini et animarum salutis potissimum. Quæ omnia in libro Actorum Capituli provincialis describentur.

150. Nova loca nulli ex Nostris ibi habitaturi ádeant, nisi prius Apostolico rescripto et scripturis quibuscumque necessariis expedítis ac illarum exemplo a Præposito generali recepto.

151. Orphanorum loca summa animi promptitudine recipientur.

152. In aliquo peculiari et urgentiori casu potest Præpositus generalis cum voto Consiliariorum per litteras habendo, domum áliquam vel orphanotrophium recipere, si ita expedire iudicabit, servatis servandis.

## LIBER SECUNDUS

### DE VITA ET DISCIPLINA REGULARI

#### CAPUT I

##### DE CONSTITUTIONIBUS UNIVERSE

153. Ordo noster, ubi primum a sancto Pontifice Pio V in Religionum numerum relatus est, Regulæ divi Augustini ab eodem subiectus est. Peculiaribus tamen Constitutionibus, auctoritate Apostolicæ Sedis, ad instituti sui rationem accommodatis, háctenus innixus est et ex illis tantum in divino formulatu ad caritatis amplitudinem et propósitam perfectionis normam dirigi consuévit.

154. Has ergo Constitutiones nostras a Nostris habéri cúpimus tamquam externa ad-

minicula et incitamenta religiosæ perfectio-  
nis ac proinde eas in omnibus rebus quan-  
tumvis mínimis ab omnibus sancte inviola-  
téque observari (cfr. cn. 593). Cum tamen  
optemus Nostros omnes securos esse aut  
certe adiuvari, ne in laquémum ícident alii-  
cuius peccati, quod ex vi Constitutionum  
proveniat; declaramus nullas ex nostris Con-  
stitutionibus obligationem aliquam ad cul-  
pam sive mortalem sive venialem indúcere,  
nisi unius ex tribus votis sit illi adnexa vio-  
latio vel contemptus accédat vel præceptum  
in virtute sanctæ obœdientiæ vel censura  
ecclesiastica vel aliquid simile, quod sua na-  
tura eum, qui legi non obtemperaverit, pec-  
cato reddat obnoxium.

155. Ne autem idcirco vigor seu etiam ri-  
gor religiosæ disciplinæ deférveat (qui ubi se-  
mel in Religione remittitur, deformari statim  
eiusdem Religionis decórem omniumque re-  
rum spiritualium nauseam ac intéritum se-  
qui necesse est) vólamus, ut poénarum usus  
apud nos et cum Nostris omnino vígeat, ita

ut mímini etiam defectus numquam dissimulentur, si in illis vel notetur vel timeatur disciplinæ neglectus.

156. Si qua dubitatio vel obscuritas emér-  
serit, quæ interpretationem aut declaratio-  
nem postulare videatur, ad Capitulum gene-  
rale vel ad Definitorium res tota deferatur:  
ínterim tamen Præpositus generalis, quid  
faciendum sit, státuat cum consilio Consilia-  
riorum.

157. Quæcumque ínsuper decreta pro  
rerum occasione fúerint in Domino statuta,  
curabunt Superiores suo in primis exemplo,  
ut omnes magna cum humilitate et alacrita-  
te amplectantur et observent.

158. Singulis feriis sextis inter refectionem  
vel alia hora et alio loco, de consensu Se-  
niorum, publice legantur Constitutiones, et  
statis temporibus decreta Sanctæ Sedis, si  
quæ públice legenda præscrípserit (cfr. cn.  
509 § 2, 1º), et decreta de quibus n. præ-  
cedenti: quæ statim ímprimi mandamus et

ad Superiorum locorum mitti, ut ad notitiam omnium deveniant.

159. Fratribus nostris capita illa, quæ ad eos spectant, explicentur semel in hebdomada a Vicesuperiore vel ab alio de Superioris mandato. Ad legum insuper observationem et ad spiritualem profectum ab eodem diligenter et accurate ut animentur, volumnus et hac in re Superiorum conscientias oneramus (cfr. cn. 509 § 2, 2º).

160. Immunitates a choro, a triclinio, a communibus cibis et aliis legibus non passim nec sine causa urgenti, et ea tantum durante, concedantur: et si quæ concedendæ fuerint, Praepositus generalis ad annum dumtaxat et non ultra, Prapositi provinciales ad quattuor menses, ad brevissimum tempus Superiorum, prout suis subditis opus fuerit, dispensare possint: et tam ille quam isti proximum Definitorium de causa sive causis factæ dispensationis commonefaciant. Perpetuae exemptiones soli Capitulo generali ex causa reservantur.

161. Novæ Constitutiones numquam fiant, neque iam factæ immutentur, nisi gravis adsit necessitas et accedente adprobatione Sedis Apostolicæ, cui præsentes Constitutiones reservantur; sed aliqua alia ratione provideatur, prout in Domino melius visum fuerit.

162. Quod si in novis ordinationibus seu statutis faciendis aliquid obrépsérunt, quod sacris canonibus (cfr. cn. 489), Conciliis decretisque Summorum Pontificum adversentur, nullius sit momenti, nisi ex privilegiis Ordini nostro concessis robur et auctoritatem desúmpserit.

## CAPUT II

### DE HORIS CANONICIS

163. Clerici nostri, statim atque professionem sollemnem emiserint, ex eo tempore ubicumque dégere illos contigerit, ad horas canonicas ex romani Breviarii præscripto rituque persolvere tenentur.

164. Fratres (non quidem eodem præcepto, sed poena per Superiores infligenda) officium parvum beatæ Mariæ Virginis vel, de Superioris licentia, tertiam partem rosarii marialis loco officii recitare teneantur. Idem, nisi legitime impediantur, veperis, cum decantantur, intérssint.

165. In domibus, quæ a Definitorio ad hoc ipsum nominabuntur, divinum officium in choro quotidie iuxta rubrícias, quoad fieri potest, recitetur.

166. Clerici nostri simpliciter professi tenentur tantum ad recitationem sive privatam sive communem officii parvi beatæ Mariæ Virginis, non tamen sub culpa lethali; in domibus, ut supra designatis, ipsi quoque tenentur choro interesse et cum aliis horas canonicas psállere.

### CAPUT III DE MISSARUM CELEBRATIONE ET MORTUORUM EXEQUIIS

167. Sacerdotes nostri rem sacram quotidie perágere curent ad Missalis romani præscriptum et iuxta Ordinis nostri kalendarium.

168. Clerici et fratres nostri legitime non impediti quotidie sacro intérssint (cfr. en. 595 § 1, 2º).

169. Missæ novæ, quæ debita cum solemnitate dicendæ sunt, ne celebrentur in ecclesiis alienis sine Præpositi provincialis licentia.

170. Singulis mensibus pro Religionis nostræ necessitatibus, pro bono illius régimine, pro spirituali profectu et eiusdem Religionis incremento, Missa unica de Spiritu Sancto, in unaquáque ex nostris ecclesiis celebretur, servatis fideliter rubricis in hac re servandis.

171. Quoties vel negotium aliquod vel personam Deo commendari Superior iūsserit, scheda, quæ id révocet in memoriam, affigatur eo in loco, ubi sacerdotes celebratur orare consuevérunt.

172. Pro nostris benefactoribus præter quotidianas preces, quæ a singulis professis et publice et privatim fient, hortamur etiam, ut sacerdotes in Missis, quandocumque pótérunt, aliis orationibus addant collectam "Deus qui caritatis", céteri non sacerdotes coronam beatæ Mariæ Virginis frequenter récitant.

173. In ecclesiis alienis, præcipue monialium aut puellarum (confessariis et iter agentibus exceptis), celebrare Nostris non líceat absque Superioris facultate, quæ sine iusta ratione minime concedatur.

174. Extra nostras ecclesias ónera Missarum celebrandarum nulla recipientur.

175. Externis sacerdotibus sacrum fácerre nostris in ecclesiis non permittatur, nisi prius

explorata Superioris voluntate et servatis de iure servandis (cfr. cn. 804).

176. Missarum et divinorum officiorum et aliæ quæcumque obligationes perpetuæ non accipientur, nisi cum expressa licentia Præpositi provincialis; acceptarum vero extet tabella in singulis sacrariis, quæ illas fideliter éxprimat et quotannis a Præposito generali vel provinciali visitationis témpore recognoscatur. Iisdem ut suo tempore satifiat, operam dabunt sédulam Superior et aëdítuus: pecuniæ vero seu bona mobilia pro huiusmodi obligationibus accepta in bonis stabílibus fructiferis quam primum implicentur et ad normam sacrorum cónonum administrentur.

177. Nemo, etiámsi sit Superior, non sibi subditis Missas dicendas vel applicandas assígnet; sed si númerum Missarum excedentem habeat, quæ debito tempore celebrari néqueant, potest Superior de consensu Præpositi provincialis eas celebrandas tribúere vel aliis nostris domibus vel etiam sacer-

dotibus sibi acceptis, dūmmodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio Ordinarii commendatos (cfr. cn. 838). In éxitu autem cuiúslibet anni Missarum ónera, quibus non fuerit satisfactum, ipsi Præposito provinciali tradat, secundum modum ab eo definiendum (cfr. cn. 840 § 1). Nemo ab alio præterquam a proprio Superiori Missas celebrandas recipiat sine expressa licentia sui Provincialis.

178. Quoties aliquis ex nostris professis vel novitiis obferit, illius Superior Superiores omnes statim commonefaciat et ea omnia persolvat quæ in nostro Rituali præscribuntur sive circa cadávera Nostrorum sive circa suffragia.

179. Si Rectorem orphanorum mori contigerit, conficiatur statim per Vicerectorem coram commisso vel per eumdem commissum, si ex Nostris alias ibi non adsit sacerdos, rerum omnium, librorum, pecuniarum, scripturarum, quæ ad Religionem spectare videbuntur, et totius supellectilis in-

ventarium cum iuramento subscriptum, quod statim ad Præpositum provinciale mitten- dum erit, omniáque ínterim vel a Vicerectore vel a commisso diligenter custodientur.

180. Prima die post Commemorationem omnium defunctorum non impedíta, in omnibus nostri Ordinis ecclesiis anniversarium fiat pro nostris defunctis religiosis et aggreditatis: et si id permittant Missarum obligationes, quibus ex iustitia satisfacere debemus, curet Superior, ut præter Missam sollemnem aliæ etiam Missæ privatæ pro iisdem celebrentur.

181. De celebrandis apud nos funeribus fidelium, si quando casus contingat, præscripta iuris canonici accurate serventur (cfr. passim cnn. 1215-1238), ne hac occasione pax cum parochis perturbetur neve a fortiori scandalum fidelibus præbeatur.

**CAPUT IV**  
**DE ORATIONE MENTALI**

182. Mentalis oratio nullo modo prætermittatur (cfr. cn. 595 § 1, 2<sup>o</sup>).

183. Quotidie igitur bis a Nostris omnibus orationi mentali incumbatur, mane et vespere. Quod sicuti contigerit pro rerum adiunctis, ut impossibile sit bis in die omnes religiosos ad communem hanc duplicem orationem colligere, Superior, de consensu Praepositi provincialis, curet ut altera semper sit communis, altera privatum fiat. Utraque ad semihoram prorogetur. Ad utramque etiam fratres obligantur et hac in re Superiorum conscientias oneramus.

184. In omnibus nostris collegiis, orphantrophiis, domibus, omnes Nostri, nisi quem morbus excusat, ad orandum in ecclesiam, chorum vel oratorium, pro locorum commoditate, præscripto tempore convenient.

185. Religioso, qui forte ratione officii habitualiter ab oratione mentali communi ar-

ceatur, Superior opportunum tempus assignabit, ut privatim quotidie dictæ orationi incumbat.

186. Invigilet Superior, ne quovis prætextu quispiam absit a communi oratione et ex iis, qui adsunt, nemo recedat, nisi gravi compulsus necessitate, petita prius benedictione.

**CAPUT V**  
**DE CONFSSIONE**  
**ET SACRA COMMUNIONE**

187. Sacerdotes, qui quotidie sunt celebraturi et quos sanctos esse decet, ut sancta sancte administrent, saltem semel in hebdomada peccata confiteantur (cfr. cn. 595 § 1, 3<sup>o</sup>) timeantque, ne, si culpas leviores parvifaciant, gravioribus seipsos facile inquinent. Clerici quoque, novitii et fratres nostri accedant ad sacramentum poenitentiae semel saltem in hebdomada vel frequentius, si id exigat spiritualis profectus; proprii ta-

men confessarii iudicio se ipsum unusquisque subiciat.

188. Subditorum confessiones non excipient Superiores, nisi rogati ab iis subditis qui sponte sua et motu proprio id petant, et sine gravi causa id per modum hábitus ne agant (cfr. cn. 518 § 2).

189. Superiores confessarios pro numero professorum, novitiorum aliorumve in religiosa domo diu noctúque degentium causa famulatus, aut educationis, aut hospitii, aut infirmæ valetudinis designabunt ex discretioribus et prudentioribus cum facultate absolvendi etiam a reservatis in Religione, si quædam reservari contigerit (cfr. cn. 518 § 1; 875 § 1).

190. Si quis tamen ad suæ conscientiæ quietem desíderat confessionem perágere apud confessarium inter designatos non recensitum, sed tamen adprobatum ab Ordinario loci, ab eo absvolvi potest etiam a cásibus in Ordine reservatis (cfr. cn. 519).

191. Insuper quater saltem in anno religiosæ familiæ confessarius extraordinarius assignetur (cfr. cn. 521 § 1).

192. Magnópere autem cúpimus ut, iuxta prudens confessarii iudicium, generalem totius anni confessionem, præmissa oratione et diligenti examine, Nostri omnes quotannis faciant, idque Superiores suis exhortationibus suadébunt.

193. Maxime hortamur ut Superiores nostri promóveant inter clericos, fratres et alios suos subditos ac familiares frequentem, etiam quotidianam Sanctissimi Corporis Christi receptionem, quæ omnibus rite dispositis quotidie libere páteat (cfr. cn. 595 § 2). Quod si abstíneant, aut aliqua de causa impedianter quóminus ad sacram communio nem accédat, nihilóminus, sanctissimo Missæ sacrificio quotidie adstantes, spirituali communione seipso reficiant.

## CAPUT VI

**DE OBŒDIENTIA ET REVERENTIA  
ERGA  
SUPERIORES ET SENIORES**

194. Ad communes actus chori, capituli, triclinii et alios, qui per signa campanulae indicuntur, tamquam ad vocem Domini vocantis, nulla interiecta mora, omnes et primi omnium Superiores accúrrant.

195. Negotium aliquod ággredi vel promovere, seu curam quámlibet suscípere, etiam pietatis prætextu, ut litis componendæ, pacis conciliandæ, defensionis viduarum vel pupillorum procurandæ et aliarum rerum, némini líceat, nisi re prius cum Superiore communicata et de illius licentia; rebus autem sacerdotalibus ut perquam raro sese Nostri immísceant, præsenti constitutione dérnimus.

196. Nemo litteras commendatitias sibi aut aliis emendícket, ut obœdientiae reluctetur vel ut illam impedit et remoréatur.

197. Quoad subditos autem, omnes Nostros móritos volumus quod, non obstante divisione Provinciarum, ob necessariam aliquam causam potest Præpositus generalis religiosum quemcumque a sua Provincia ad locum alienæ Provinciæ de obœdientia destinare audito Consilio Provinciæ ad quam ille destinatur, nisi petitio præcésserit; cui decreto nemo umquam potest résistere absque violatione sanctæ obœdientiæ.

198. Excusationes languentium virium, insalubritatis aëris et huiúsmodi, quæ intérduum afferuntur, non admittantur, nisi ipse met Superior, medicum prius allocutus, loci mutationem alícuí necessariam esse suis ad Patrem generalem vel ad Præpositum provinciale litteris affirmet.

199. Eorum consilia, qui Ordinem administrant, céteri nolint curiose perscrutari, multo minus improbare: subditos tamen hortamur, ut si quid ipsis occúrrerit, quod vel publico Ordinis vel privato alicuius domus seu etiam personæ commodo prodesse

posse videatur, rem ad Præpositum generalem vel provincialem seu etiam ad proprium Superiorum referant: sed quidquid ab iis postea decretum fuerit, et ipsi statim tamquam prudenter factum collaudent.

200. Quæ in Capitulis generalibus vel Definitorii statuenda erunt, nemo audiencibus aliis quasi divinando audeat coniectare, nemo per iocum expónere, nemo talia exponentem audire; quæ vero iam definita fuerint, si quis cárpare ausus fuerit, sevère puniatur.

201. Clerici et fratres simpliciter professi, si a suo Superioro ob aliquam culpam reprehendanþur vel corrigantur, humiliter statim genua flectant, iungant manus ante pectus et demisso capite patienter auscultent; alii omnes correctionem libenter admittant. Obloqui vel respondére Superiori corripienti atque etiam corrigenti audeat nemo, sed Deum corripientem et corrigentem in Superioro revereatur, sicque cum precatione veniæ culpam unusquisque agnoscat et

emendationem, Domino adiuvante, promittat.

202. Qui animo sunt erga Superiorum minus composito, curiosiores defectuum Superioris investigatores, qui eiusdem imperata, facta et dicta pravum in sensum detorquere solent illumque in contemptum inducere, si qui umquam reperientur, a reliquis omnibus tamquam animarum et Religionis pestes evitentur; nullis in Ordine honoribus decorentur, nisi diuturna experientia emendati cognoscantur; et post unam aut alteram admonitionem vel correctionem a Præposito provinciali eiusque Consilio poenitentia reprimantur, quæ aliis exemplo sint et documento.

203. Cáveant diligenter Nostri, ne cum familiariter invicem colloquuntur, vel in ipsa etiam nominis alicuius ex patribus aut fratribus appellatione quidquam irreverenter, scurriliter, contemptim nedum inhoneste dictum aut factum ipsis excidat; cáveant, ne dicacitate, iocis aut dictériis aliquem ita

exágitent, ut próvocent ad indignationem, sed inter ipsos religiosa semper intercédant colloquia, consuetudo et mores.

204. Reverentia, caritas et cura erga aetate seniores talis sit in unoquoque Nostrum, qualem decet esse filiorum in parentes optimos.

205. Iis, qui Præpositi generalis, Vicarii item generalis, potestate abierint, honor præcipius cum exteriore observantia, ut patribus de Ordine benemeritis, deferatur ab omnibus et præsertim a iunioribus.

206. Si quis consulto ac deliberate, multo magis si concitato ad iracundiam animo, alium ex fratribus álloqui vel salutare noluerit, statim per Superiorum moneatur, ut omni deposita indignatione, communia signa caritatis et benevolentiae loquendo, salutando illi exhibeat. Quod si admónitus intra unius diei naturalis spatium id non præstiterit, gravi pœna puniatur.

207. Extraneos quoscumque de rebus ad nostrum Ordinem spectantibus quomodo-cumque, scripto vel ore, per se vel per alios consúlere, non hábita a Superiore licentia, omnínō vetamus.

### CAPUT VII

#### DE CASTITATE

208. Occasiones etiam minimæ castitatis labefactandæ diligentissime sunt a Nostris evitandæ atque, ut evitentur, curam omnem et vigilantiam Superiores adhibebunt.

209. Mulierum familiaritates, etiam prætextu confessionum, instructionum spirituallium, ægritudinis vel cognitionis, maxime suspectæ sint et omnínō tollantur. Adolescentulos in religiosorum cubicula introduci non permettet Superior; et qui hac in re etiam leviter delíquerit, graviter puniatur.

210. Maxime curandum est ut Superiores et quicumque ratione officii cum mulieribus colloqui debent, quam brevissimas teneant

collocutiones et has quidem in collocutorio aut in loco patenti. Omnia demum caute e-  
vitentur et quæ mala sunt et quæ videntur in se retinére sp̄ciem mali.

211. Non solum peccantes contra votum castitatis (ut vero nemo umquam peccet op-  
tamus quam maxime) puniri severe manda-  
mus, sed etiam suspecti hac in re qui fuerint,  
si paterne prius privatimque a Superiore cor-  
repti non resipuerint, obœdientiæ præcepto  
coram duobus ex Senioribus iisdem impó-  
sito aliisque poenis propositis, ad omnem tol-  
lendam suspicionem constríngi volumus.  
Quod si adhuc vigére suspicionem Superior  
animadverterit, tunc suspecti loco amoven-  
di erunt et denuntiatis antea poenis aut etiam  
gravioribus arbitrio Superioris maioris affi-  
ciendi, et sedulo eo mittentur, quo fuerint  
ab obœdientia ad residendum destinati. Su-  
spicione vero iudicentur a Superiore cum  
Seniorum consilio.

212. In Superiores autem, quorum exem-  
plum facile transit ad alios, severius semper

animadvertent Præpositus generalis et Præ-  
positi provinciales, si forte (quod avertat  
Deus) ipsi se impuritatis labē aut gravi su-  
spicione contamináverint.

### CAPUT VIII DE PAUPERTATE

213. Ex concessionē sancti Pontificis Pii V habére possideréque bona in communi po-  
test quidem nostra Religio. Nostris tamen sollemniter professis aliquid ut proprium  
retinére vel ut proprio uti, culpa est contra  
votum paupertatis.

214. Quamóbrem libros vel eorum áliquid,  
quæ privatim ad usum conceduntur, pecu-  
liaribus signis aut propriis nominibus no-  
tare Nostri prohibéntur, immo et loquendo  
caveant, ne verbum illud "meum, ac tuum"  
ipsis écidat, quod speciem præséfert domi-  
nii, sed "ad meum, ad tuum usum" dicant  
quidquid ad usum singuli apud se cum  
licentia Superioris habúerint.

215. Omnia in communem supelléctilem Superioris ad voluntatem, vocem, nutum conferantur.

216. Iis exceptis, qui domorum régimini et bonorum administrationi præficiuntur, interdicitur aliis omnibus pecuniæ usus et eiusdem tam apud se, quam apud alios etiam in parva quantitate retentio.

217. Superiores omnino prohibentur alíciui ex subditis usum pecuniæ concédere seu dissimulando permittere.

218. Múnera nemo sibi procúret; ab aliis oblata, etiam a fratribus nostri Ordinis, nemo recipiat; iisdem et multo minus exteris nemo elárgiatur. Nemo quidquam commutare cum alio, quicumque ille fuerit et quacumque dignitate emíneat, sine Superioris obœdientia, præsúmat.

219. Quæcumque bona tam mobilia, quam immobilia et quacumque ratione, iure, causa ad aliquem ex nostris sollemniter professis

pervénerint, vel iídem quocumque nómine acquisíverint, etiam si subsidia sint consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, donationes, tamquam propria, nemo, qui cumque ille sit, possidére possit; sed omnia statim Superioribus tradantur ad normam can. 594 § 2.

220. Superior subditorum cubicula interdum immo frequentius, si ita videbitur, invíset una tamen cum Vicesuperiore vel cum alio ex Senioribus; perlustrabit omnia et, si quid ex necessariis alíciui deésset cognóverit, providébit quamprimum; si quid supervácum, si quid a spiritu et puritate paupertatis alienum repérerit, prótinus áuferet; ipse vero in primis studio et exemplo paupertatis prælucrére debebit omnibus (cfr. cn. 594 §§ 1 et 3).

221. Quæcumque res ex auro vel magni pretii vetantur nostris religiosis, qui, si hac labe contra paupertatem defécerint et móni non resipúerint, puniendi erunt pro gravitate culpæ et dati scandali.

222. Libros, vestes, manuscripta, pecuniam vel aliud quodvis si quis apud exteros, quamquam propinquos et consanguineos aut etiam religiosos servandum deposuerit; si quis vendiderit, alienaverit, donaverit sine licentia in scriptis a suo Superiori habita, is proprietatis labe notatum et poena muletandum sese noverit; sicuti eidem obnoxium criminis eum declaramus, qui titulo depositi vel eleemosynae vel restitutionis facienda gratia vel alio quolibet praetextu quidquam apud se detinuerit, non habita in scriptis a Superiori, cui indicari omnia singillatim volumus, benedictione et facultate.

223. Superiores, ii etiam, qui in orphaniotrophiis protectorum saecularium administrationi subiectis commorantur, eleemosynas sibi datas in libello fideliter adnotabunt et visitationis tempore de omnibus et singulis rationem Praeposito generali vel provinciali vel Visitatori ita reddendam sciant, ut proprietarii sint censendi, si quid pecuniae vel rem aliquam illis occultaverint.

224. Cavebunt autem Superiores, ne dum subditis ea, quae ad victum et vestitum ac valetudinis curam necessaria sunt, religiosa caritate non providerint, occasionem illis praebant labefactandae paupertatis vel obedienciae. Subditi vero in usu distributioneque rerum omnium a Superioris voluntate prorsus pendebunt, nec quisquam vel aliquid superfluum vel ea sibi utenda permitti velit, quae nostris Constitutionibus et paupertati repugnare Superior iudicaverit.

#### CAPUT IX DE MORTIFICATIONE CORPORALI

225. Praeter privatas et voluntarias corporis afflictiones, quas cuilibet integrum erit assumere, sed cum Superioris vel proprii confessarii obediencia, communes omnibus sequentes praecipimus.

226. Omnia ecclesiastica ieunia a Nostris omnibus inviolate et stricte observentur. Insuper ieunetur ab universis die praecedenti sollemnitatibus S. Hieronymi Aemiliani, Funda-

toris nostri (mense iulio), necnon in vigilia festi SS. Cörperis Christi et pridie quam incípiet Capitulum generale vel Definitorium generale.

227. Feria sexta cuiúsque hebdomadæ íntegrum erit cuilibet religioso, de Superioris consensu, iejunium servare.

228. Ad verberationem corporis quod áttinet, vehementer hortamur, ut quisque privatim, semel in hebdomada, se ipsum loris cædendo afflīgit iuxta consilium confessarii et secundum rationem uniuscuiúsque valedūdinis. Céterum publicæ mortificationes seu pœnitentiæ ne exerceantur, nisi de speciali Superioris et confessarii licentia.

## CAPUT X

### DE SILENTIO ET MODESTIA

229. Præcipue observari silentium præcipimus in choro et in triclinio et quidem ita religiose, ut non solum verbis, sed ne signis quidem aut nutibus fas sit illud violare. Qua-

móbrem neque post horas canonicas, neque post mentis orationem in choro, neque post refectionem in triclinio remanére colloquendi gratia cuiquam liceat; orandi vero causa in choro, serviendi in triclinio consistere liceat, sed cum obœdientia.

230. Quod si silentium servandum, multo magis murmurations fugiendæ, quibus et Dei et Religionis gloria minúitur, caritas scinditur et læditur. Vígili ergo cura Superiores in id incumbent, ne vitium hoc, quod totam Religionem labefactare potest, inter Nostros serpat, numquam cum delinquentibus connivebunt, sed præscripto caritatis atque iustitiæ cum iisdem agent, ut emendentur.

231. Circa modestiam, cum ea sit, quæ actiones hóminis externas compónit et mórbibus eius honestum quemdam tribuit décorum, conabuntur omnes ita se gérere ut vitae genus, quod profitentur, regula quædam et professio modestiæ esse cognoscatur.

**CAPUT XI**  
**DE OTIO VITANDO**

232. Superioribus áriter insistendum est, ut súbditi bono aliquo opere faciendo iúgiter occupati sint, numquam otiosi per claustra divagentur vel ad aliorum cubícula convenient aut alia ratione tempus inutiliter terant. Quamóbrem propria munia ita omnibus assignabunt et tempus illis obeundis ita distríbuent, ut unusquisque sciat quid sibi singulis horis sit peragendum. Póterunt etiam sacrario, bibliothecæ, infirmis curandis, hospitibus recipiendis præfici, ut Superiori videbitur, cuius conscientiam serio oneramus, ne otiali suos ulla ratione dissímulet et patiatur.

**CAPUT XII**  
**DE CLAUSURA**

233. Nostris in domibus clausura omnino servetur; quæ erit clausura papalis, ad normam canonum 597-599. Capituli generalis vel etiam Præpositi generalis aut provincialis

erit clausuræ fines accurate præscribere aut legítimis de causis mutare. Partes autem clausuræ obnoxiae patenter indicentur.

234. Omnes, quibus est clausuræ custodia, sedulo advígent ne, alienis invisentibus, inútili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur (en. 605).

**CAPUT XIII**  
**DE EGREDIENTIBUS DOMO**  
**ATQUE**  
**DE HONESTA ANIMI REMISSIONE**

235. Nostri, e domo egredientes, et quidem cum cómite, si possibile est, a Superiori humíliter benedictionem obtíneant; quam ne omittant simíliter pétere statim ac domum fúerint regressi.

236. Quílibet se domum vesperi ante signum salutationis angelicæ recipiat. Cœnandi licentia nocturno tempore extra claustra nemini umquam concedatur.

237. Accessus ad quascumque mulierum domos nullo modo Nostris concéditur, nisi de expressa Superioris licentia et cum debitis cautelis.

238. Scandala quæcumque ut a Nostris evitentur, numquam iis in locis consistent, neque prope ea accédent, ubi spectacula publica habentur (cfr. cn. 140), aut loca ingrediéntur, ubi, prætextu se reficiendi, in sacerdotalium ánimos admirationem íngerant.

239. Cum sacerdotalibus, quamquam consanguineis, affínibus, poenitentibus vel aliis quibusque, comedendi facultatem non passim nec sine iusta causa Superiores aliis faciant, nec sibi ipsis usúrpent. Ad nuptiale convivium numquam Nostrí accéderent et ad illud accedendi licentiam Superiores concédere non possint.

240. In villis sacerdotalium pernoctandi non detur passim facultas, adolescentioribus præsertim tam clericis quam sacerdotibus, quibus assignabitur comes ætate gravis et moribus

honestus; sed et sibi licentiam hanc raro Superior assúmet.

241. At vero feriarum témpore concédimus tam professoribus litterarum quam studentibus aliquam requiem et recreandi animi laxationem, per id temporis spatium quod bene vidébitur Consilio generali, etiam iuxta ecclesiasticarum scholarum consuetudinem.

242. Némini eo témpore, recreationis prætextu, per nostras domos otiose vagari permittatur, et si quis alio se conferendi facultatem a Præposito provinciali obtinuerit, is ad eum dumtaxat locum perget, ad quem eundi licentiam impetrarit.

#### CAPUT XIV

#### DE VIATORIBUS ET HOSPITIBUS

243. Nemo domicilio sibi ab obœdientia designato discédere umquam attentet, prætextu etiam Præpositum generalem vel provincialem conveniendi, absque licentia ab

iisdem scriptis obtenta: minus líceat Superiori cuicunque ex suis subditis quempiam ad Præpositum generalem vel provincialem mittere, ni prius de re ob quam mittere decreverit certiores illos fécerit et mittendi facultatem impetrárit, gravissima excepta causa, quæ moram non patiatur.

244. Necessaria quæcumque iter suscipientibus et alio commigrantibus, viaticum videlicet et supellex viatoria ad normam paupertatis et caritatis suppeditentur ab eo Superior, a cuius domicilio recédunt, ut omnis proprietatis occasio submoveatur.

245. Supellectilem si quam Nostri ferent in itinere, eam a Superiori impetrata licentia quisque asportabit, quæ et statui conveniat et itineri non sit impedimento; omnia autem exscribentur et scripto Superior manu propria subscribet ac sigillo domestico obsignabit, seriemque suæ supellectilis statim Superiori, ad quem accésserit, sincere ostendet.

246. Si quis concionator aut lector vel litterarum studiosus scripta aut libros asportare necesse habuerit, id cum licentia scripta Superioris loci facere poterit.

247. Superiores omnes locum peculiarem hospitibus admittendis præparatum habére et, prout vires nostri Ordinis ferent, necessaria cuilibet subministrare curabunt.

248. Hospites prorsus in omnibus Superiori subdantur; exemplum taciturnitatis, modestiæ, observationis nostrarum Constitutionum ceteris præbeant. Hóspites tenentur ad omnes actus communes.

249. Ubi fúerint nostri Ordinis domicilia, ad ea et non alio recto itinere se convergent (cfr. cn. 587 § 4), nec Superiores, quibus illi se præsentaverint, pernoctandi licentiam extra nostras domos ullo modo concédere possint, sed neque hospites sibi arrogare sub pœna a Superioribus infligenda.

250. Adventantes aliunde negotiorum gratia, domo non éxeant, nec aliquid emant,

dono dent, aut mutuo accípiant, nisi de consensu Superioris ibidem residentis qui, ut eos corrígere possit, immo ut débeat, hac nostra constitutione sancimus.

### CAPUT XV

#### DE EPISTOLIS SCRIBENDIS

251. Epistolas nemo scribat mittátve aut ad se missas recipiat sine Superioris licentia. Insuper, nisi adsit rationabilis causa, a litteris exarandis quisque se témporet.

252. Superiori fas est, salvo tamen præscripto can. 611, epistolas clericorum et fratum vel missas vel acceptas, servato prudentiæ dictámne ac secreto de iis quæ legit, reserare; quoad ceteros subditos observet normas a Consilio generali tráditas in cásibus particuláribus.

253. Quo tempore Definitorium celebrábitur, nemo, etiámsi sit Superior, audeat epistolas ad patres Definitorii conscriptas re-

serare aut retinére. Quod item valet témpore Capituli seu Consilii sive generalis sive provincialis.

### CAPUT XVI

#### DE CAPITULO COLLEGIALI

254. Semel saltem in mense Superioris iussu aut, eo impedítio seu absente, Vicesuperioris, convocabitur capitulum collegiale; in quo, post preces et brevem adhortationem Superioris, singuli proprias culpas externas, modo et ordine præscripto, fatebuntur, ut in nostro Rituali. Nostri religiosi ádvenæ post íntegrum mensem commorationis in loco idem præstabunt órdine professionis. Correctionem unusquisque libenter audiet et pœnitentias sive mortificationes, quas illi iniungere voluerit Superior, grato hilarique animo et cum summa animi demissione excípet.

255. Nemo ex subditis, quacumque dignitate præfúlgeat, a culpa dicenda sit immunis, sed non professi egrediantur e capitulo, cum professi se ipsos accusabunt. In tricli-

nio autem, ubi pùblicæ pœnitentiæ publicis erratis iniunguntur, cum professi culpam dicent, non professi interesse pôterunt: hoc enim ad exemplum iisdem cónferet.

256. In capitulo dum quis a Superiore corripitur, excusationem afferre non possit, nisi prius petita benedictione et facta a Superiore potestate, qua etiam parce, modeste humiliterque utetur.

257. Si quis irreverenter vel immodeste se gesserit vel impósto illi silentio non statim oboedierit, dimittatur e capitulo et graviter puniatur.

258. Superior coram subditis, præterquam in adventu Præpositi generalis seu provincialis, culpas suas non accusabit.

259. Ius suffragii in capitulo collegiali nemo habebit, nisi sit sacerdos professus a votis sollemnibus atque íntegrum curriculum studiorum iam compléverit. Si vero quis religiosus sacerdos, sollémniter vel perpe-

tuo proféssus, ad nos transíerit, is post emis sam apud nos sollemnem professionem per triennium in capitulo collegiali neutram vocem habiturum se sciat.

260. Præter hanc convocationem capituli collegialis ad primarium finem humilitatis exercendæ, alia etiam habeatur quintodecimo quoque die, cui intérerunt ii omnes quibus est ius suffragii, ut possint diligentius perpéndere et excútere quæcumque negotia tum quoad religiosæ familiæ disciplinam et spiritualem profectum, tum quoad tutam et vigilantem administrationem spectantia, tum demum quoad omnes res alicuius momenti, quibus providendum sit a capitulo collegiali iuxta nostrarum Constitutionum præscripta. Utraque convocatio eisdem précibus incipit et conclúditur.

261. In collegiali capitulo, de quo n. præcedenti, Superior ex caritate et in Domino requíret a subditis quibus còmpetit ius suffragii eosque rogabit, num pro Dei cultu augendo, pro bono Ordinis nòmine conser-

vando, pro bono item domus régimine ali-  
quid admonendum iisdem in mentem ve-  
niat, an cui sit occurrentum scandalum, an  
necessaria cuídam desint, an omnia, quæ ad  
victum et vestitum pertainent, sint æquali-  
tate distributa; et liceat omnibus hoc tém-  
pore et loco animi sensum aperire, ita ta-  
men libere ut a dicendi libertate caritas,  
modestia, humilitas, reverentia numquam di-  
vellantur et voluntati prudentiæque Supe-  
rioris propriam unusquisque voluntatem et  
sensum statim subficiat.

262. Quæ in capitulo dicta vel gesta füe-  
rint, extra capitulum referri omnino prohi-  
bémus, máxime si caritatem minúere pote-  
runt: capitulo et voce privetur, qui secus fé-  
cerit aliisque poenis iudicio Superioris et  
Seniorum mulctetur.

## LIBER TERTIUS

### DE PERSONARUM ET DOMORUM GUBERNATIONE

#### CAPUT I

##### DE SUPERIORUM LOCALIUM MUNERE ET COMPETENTIA

263. Superiores locales tam Præpositi,  
quam Rectores per vota secreta, ut supra  
n. 137, a Consilio provinciali nominabuntur,  
ad normam cn. 505.

264. Superiores omnes, postquam nomi-  
nati fuerunt, tenentur coram Consilio vel  
Superiore qui eos nominavit eorumve dele-  
gato emittere professionem fidei secundum

formulam a Sede Apostolica probatam. Eādem professionem faciendam curabit Superior a concionatoribus, confessariis, professoribus, lectoribus et magistris nostris. Qui, priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam iuris (cfr. cn. 1406 § 1, 9<sup>o</sup> et § 2).

265. Hābeat Superior formatæ domus saltem duos Consiliarios, quos Seniores vocamus, quorum consensum aut consilium exquirat, ad normam sacrorum cānonum, in omnibus quæ spectant ad rectam gubernationem religiosæ familiæ in administratione, caritate et concordia servanda et in omnibus in quib⁹ passim nostræ Constitutiones præscribunt consultationes Seniorum (cfr. cn. 516 § 1).

266. Seniores autem deligantur a Præposito provinciali audito Consilio ad triennium, sicut ipsi Superiores locales; sed in suo officio confirmari possunt.

267. Superior pro certo hābeat optimam rectæ gubernationis regulam esse Constitutiones et decreta sive generalia sive particularia quæ pro rerum occasione sanciuntur; quæ quo diligentius studiosiusque curabit ut observentur, eo laudabilior erit gubernatio et Deo ipsi acceptior. Præterea tenet notitiam et executionem decretorum Sanctæ Sedis, quæ religiosos spectant, suos inter subditos promovére (cn. 509 § 1).

268. Præposito generali, provinciali et Visitatoribus eādem præstet obœdientiam, quam a suis subditis sibi desiderat exhibéri.

269. Curent Superiores locales, ut saltem bis in mense christianæ catechésis habeatur instructio pro fratribus coadiutoribus et familiaribus, audientium conditioni accommodata (cn. 509 § 2, 2<sup>o</sup>).

270. Curent ínsuper ut omnes religiosi quotannis spiritualibus exercitiis vacent (cn. 595 § 1, 1<sup>o</sup>) et ab omni alia cura seiuncti

per dies octo seipsos toto animo cōlligant et spirituali profectui enīxe incumbant.

271. Réliquis collegiis et nostræ Religio-  
nis domibus ex intimo caritatis affectu stu-  
diose fáveat et eorum necessitatibus, quan-  
tum cum Præpositi provincialis et sui capi-  
tuli collegialis consensu pótterit, subvéniat.

272. Singulis saltem hebdómidis et quo-  
ties opus fuerit, de rebus ad gubernationem  
attinentibus, ne quid faciat ex proprio sensu,  
cum Senioribus ágere et cum eorum consi-  
lio puníre subditorum gravia errata curabit,  
quibus in nostris Constitutionibus peculiá-  
res poenæ statutæ non sunt.

273. Archívum optime constructum quis-  
que Superior hábeat, in quo omnia docu-  
menta serventur secundum normas peculia-  
res quæ in Directorio continentur.

274. Rationes accepti et expensi singulis  
mensibus a Superiori recognoscantur, con-  
vocatis ad id Vicesuperiore, œconomo do-

mus et uno Seniorum, subductisque ratio-  
nibus, ab iisdem subscribantur.

275. Nullum pecuniæ aut rerum quarum-  
cumque depósum, in ea notabili quanti-  
tate quæ a Definitorio statuta fuerit, acci-  
piat Superior a sacerdotalibus vel retíneat vel  
retinéri a súbditis permittat vel áccipi sine  
Seniorum consensu scriptis expresso. Póte-  
rit cum Seniorum consensu mutuo crēdere  
amicis potentibus aliquam summam ut su-  
pra statutam; sed ultra dictam requíritur vo-  
tum capituli collegialis, quo sine, si Supe-  
riores ære alieno domos opprésserint, depo-  
nantur ab officio et aliis poenis afficiantur  
arbitrio Præpositi generalis vel provincialis.

276. Licebit Superiori ministros omnes, Vi-  
cesuperiore, parocho, œconomo et cancellario  
exceptis, pro suo arbitrio elígere et mutare;  
cum autem experientia compertum sit, fre-  
quentes ministrorum mutationes plerumque  
cum detimento domus fieri, ad illas non de-  
véniet, nisi necessitate aliqua compulsus;  
mortificationibus súbditos exercére, pruden-

ter tamen et moderate, ut suorum áimi in spirituali pugna roborentur, non frangantur; alia déniue omnia perágere, quæ vi iuris communis, nostrarum Constitutionum et quomodocumque legitime illi cōpetunt, nisi aliud Præpositus generalis vel provincialis eorumque Consilium pro sua prudentia cum aliquo statuérint.

277. Sæculares hospitii gratia in nostris domibus non facile recipientur, quamvis de Ordine optime sint mériti vel dignitate et opibus insígnes; recepti vero ultra triduum ne commoréntur nisi iusta de causa et de Seniorum consilio, et cum iis sine facultate Superioris nemo familiariter conversetur.

278. Hôspites inserviendi gratia admitti pôterunt a Superioribus, sed cum Seniorum consilio; qui tamen ab aliqua ex nostris domibus electi fuerint, récipi non possint in aliam, nisi cum Præpositi generalis vel provincialis licentia.

279. Si ad Capitulum vel ad alios cœtus sive generales sive provinciales profecturus

erit Præpositus vel Rector, ante discessum convocatis subditis, quid cuique opus sit, diligenter vídeat et provídeat ne, ubi discesserit, illius vices gérens infestetur, cui præsenti constitutione inhibémus expensam aliquam præter ordinariam quotidiani victus facere, quæ prävidéri potuerit ante Superioris absentiam, vel ad quam maxima necessitate iudicio Seniorum non impellatur.

280. A propria residentia Superiores nón nisi raríssime absint et, si electores non füerint, tempore Capituli seu Definitorii generalis a propriis domibus discédere vel subditis eo tempore alio abire permíttere, culpa sit gravis, arbitrio Præpositi generalis vel provincialis punienda (cfr. cn. 508).

281. Dabunt óperam Præpositi et Rectores, ut pro maiori Dei gloria et proximorum salute in nostris collegiis et domibus oratoria ad sæculares spiritualibus exercitiis instruendos instituant et, ubi iam instituta sunt, omni studio augére eorumque pia opera promovére conabuntur, quo hac et-

iam in re sancti Patris nostri Hieronymi caritatem serendæque in aliis pietatis ardorem imitemur.

282. Præterea hortamur, ut in locis, ubi possibile est, sive per se sive per alios, religionis superioris cursus instituendos current, in quibus efformentur iuvenes intelligentia et bonis moribus prædicti, qui designari postea possint ad pueros et opifices erudiendos in christiana catechesi necnon in sacra et ecclesiastica historia.

## CAPUT II

### DE VICESUPERIORE ET CANCELLARIO

283. Unusquisque Superior suum hábeat Vicesuperiorem ubi plures sacerdotes comorabuntur. Hic autem, nisi a Consilio provinciali electus sit, a capitulo collegiali secretis suffragiis éligi pótterit.

284. Vicepræpositi seu Vicerectoris auctoritas ea legitime erit, quæ a Præposito vel Rectore ipsi communicabitur.

285. Cancellarius etiam a capitulo collegiali eligendus erit, qui capitulo collegialis Acta et Capituli vel Definitorii generalis decreta, Præpositi item generalis, provincialis et Visitatoris ordinationes, et insuper ea omnia notatu digna quæ indicantur in Directorio, in libro, cui titulus erit "Acta capitulo collegialis", fidéliter et claris, distinctis intelligibilibusque charactéribus describet et subscribi a Superiore faciet.

286. Durabit is ad arbitrium collegialis capituli, et eorum omnium, quæ libro adnotata sunt, curabit indicem confícere et memoriae imprímere, et liber sit penes Superiorem.

CAPUT III  
DE ŒCONOMIS ET DE  
ADMINISTRATIONE

287. Bona tum Religionis, tum Provinciæ domusque administrentur ad normam iuris canonici et Constitutionum, cum dependentia a respectivo Superiore et a respectivo Capitulo (cfr. cn. 532 § 1).

288. Præter Superiores, officiales quoque, qui in Constitutionibus ad hoc designantur, intra fines sui muneris expensas et actus iuridicos ordinariæ administrationis valide faciunt, dummmodo tamen ad normam Constitutionum subque dependentia Superiorum agant, et sunt cum Superioribus responsabiles (cfr. cn. 531 § 2).

289. Sint igitur pro administratione bonorum temporalium Œconomi: generalis, qui Religionis universæ bona administret, provincialis, qui Provinciæ, localis, qui singularum domorum; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris (cfr. cn. 516 § 2).

290. Œconomus generalis constituitur a Præposito generali de consensu Consilii sui; Œconomus provincialis a Præposito provinciali, item de consensu respectivi sui Consilii (cfr. cn. 516 § 4); œconomus tandem localis a Præposito provinciali, audito capitulo collegiali domus.

291. Œconomus generalis ad sexennium, provincialis vero constituitur ad triennium; sed in officio confirmari possunt, ut supra, a Præposito generali aut provinciali; œconomus autem localis nominatur ad annum, sed et ipse in officio confirmari potest a Præposito provinciali, audito capitulo collegiali domus.

292. Œconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest; munus œconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, compóni tamen cum eo potest, si necessitas id exigat, ad arbitrium Præpositi provincialis (cfr. cn. 516 § 3).

293. **E**economus res temporales geret sub directione respectivi Superioris; numquam ei liceat summam pecuniae acceptam apud se retinere, sed integrum Superiori tradat in communi capsa conservandam.

294. Impensas tantummodo ordinarias agit et pecuniam administrat ea mensura, quae a respectivo Capitulo vel a Superiore illi indicetur; provisiones autem quae præfixum impensis ordinariis terminum superant, nonnisi de consilio aut de consensu Superioris vel Capituli aggrediatur ad normam iuris canonici et Constitutionum.

295. **E**economus generalis rationem reddat administrationis sue Præposito generali et Consilio bis in anno, Capitulo autem generali expleto sexennio. **E**economus provincialis item bis in anno Præposito provinciali eiusque Consilio. Tandem oeconomicus localis rationem reddat ad normam n. 274.

#### CAPUT IV DE CONFESSARIIS ET DE SOLUTIONE CASUUM

296. Confessarii, qui ad audiendas confessiones admittendi erunt, a Præposito provinciali nominatim designentur.

297. Nemo autem Episcoporum examinationi pro confessionibus audiendis se subbiciat, qui prius coram Superiore et aliquo ex nostris patribus examinatus ad tantum ministerium idoneus non iudicetur. Superiores autem provinciales in concedenda suis subditis iurisdictione aut licentia ad audiendas sacramentales confessiones, præscripta Codicis iuris canonici fideleriter servent (cfr. nn. 871-880).

298. In qualibet saltem formata domo, ad minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctive doctrinis vel de sacra Scriptura; et omnes cle-

rici professi, qui studio sacrae theologiæ operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur (cn. 591). Si solutio casum in dómibus religiosis iustis de causis non habeatur, religiosi se gérere tenentur ad normam cn. 181 § 3.

### CAPUT V

#### DE PAROCHIS, VICARIIS ET COOPERATORIBUS

299. Ad parœcias nostro Ordini concréditas, Præpositus provincialis, ad normam n. 126, sacerdotem ipsius Ordinis Ordinario loci præsentet, qui eídem institutionem concedit (cfr. cn. 456).

300. Religiosus, qui parœciam regit sive titulo parochi sive titulo vicarii, manet ad strictus ad observationem votorum et Constitutionum, quátenus hæc observatio cum múnneris sui officiis consístere potest. Quare in iis, quæ ad religiosam disciplinam áttinent, subest Superiori, cuius proinde est in eius agendi rationem circa haec omnia

inquírere eumque, si casus ferat, corrígere (cn. 630 §§ 1 et 2).

301. Céterum iura et officia parochi, sive quoad administrationem bonorum et elemosynarum, sive quoad omnia quæ spectant ad régimen parœciæ, desumantur e iure communi et ex peculiaribus decretis cuiusque diocesis, et accurate observentur.

302. Doctrinæ christianaæ ministerium summo affectu parochi complectentur et promovebunt, rudes pueros et puellas inter parœciæ fines commorantes rudimentis catholicæ fidei curabunt imbuendos; eorumdem conatum et industriam alii, Superioris iusu, adiuvabunt.

303. Si parochus propter populi multitudinem aliasve iustas et graves causas nequeat, iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gérere parœciæ, eídem detur unus vel plures vicarii cooperatores, ad normam cn. 476 §§ 4, 6 et 7.

304. Vacante parœcia, ante œconomi constitutionem, parœciæ régimen adsúmat Superior, qui loci Ordinarium de parœciæ vacatione statim certiore fácer debet, et aliquem ex Nostris idoneum de mandato Præpositi provincialis propónere, qui ab eódem Ordinario constituatur quamprimum vica-rius œconomus ad vacantem parœciam tém-pore vacationis regendam, ad normam cn. 473 §§ 1 et 2.

## CAPUT VI DE CONCIONATORIBUS

305. Pùblice ne quis concionetur, nisi fa-cultatem concionandi ab Ordinario loci prius obtinuerit, nec sine licentia in scriptis concessa à Præposito generali aut provinciali.

306. Nemo autem Ordinario præsentetur ad consequendam facultatem concionandi, qui indole, ingenio, fide, probitate et eloquio non excellat, quique curriculum studiorum tum philosophiæ tum theologiæ ad normam iuris prius non expléverit, feliciter superato

ínsuper exámine coram patribus a Præpo-  
sito generali aut provinciali deputatis.

307. Si autem concio habenda sit tantum ad religiosos nostros aliosque de quibus su-  
pra n. 189, facultatem concionandi dat ad actum Superior localis, habitualiter vero Præ-  
positus provincialis; qui in casu potest eam concédere, item habitualiter, etiam iis qui de clero sacerdulari vel de alia Religione sunt, díummmodo a proprio Ordinario vel Superio-  
re fuerint idonei iudicati. Si concio haben-  
da sit ad alios vel etiam ad moniales, ser-  
ventur ínsuper præscripta iuris, cn. 1338 §§  
2 et 3.

308. Nostri prædicatores nihil pùblicent in suggestu, ne indulgentias quidem, nisi de licentia Superioris ecclesiæ in qua sunt con-  
cionaturi. Et serventur canones quoad ip-  
sas indulgentias (cfr. cn. 919 § 1).

309. Concionandi provinciam etiam spon-te oblatam a Prælatis vel a sacerdularibus vi-  
ris nemo aggrediatur, nemo suam promittat

operam, nisi licentiam a Præposito generali aut provinciali prius obtinuerit, quorum est operarios in vineam Domini arbitrio suo mittere.

310. Si, concessa facultate vel licentia, loci Ordinarius vel respective Præpositus generalis aut provincialis compérerint necessarias dotes in concionatore desiderari, debent eam revocare; in dubio de doctrina debent certis argumentis dubitationem excutere novo etiam exámine, si opus fuerit (cn. 1340 § 2).

## CAPUT VII

### DE HABITU NOSTRORUM

311. Singulari cura invigilandum est, ut nostri Ordinis patres et fratres ea utantur vestium compositione, quæ religiosos viros déceat, ut scilicet nec nimis elegans et splendidus sit vestium ornatus, neque sórdidus et nimis abiectus ullus Nostrorum incédat. Erunt itaque omnium externæ veste nigri semper coloris, modici pretii, simplices.

312. Ea demum sit vestitus tam interioris quam exterioris compositio, ut nihil holosericum vel subséricum, nihil vanitatis aut pretiositatis, nihil nimis exculti et elegantioris ornatus vel minima quálibet in re appáreat, nihil, quod a religiosa simplicitate et paupertate declínet vel sacerdotalium oculos, quos maxime in religiosos viros intentos tenent, etiam léviter offendat.

313. Habitus probationis ante novitiatum, si cui adspiranti etiam clero concéditur a Præposito provinciali, erit similis ei quo Nostri utuntur, sed non permittuntur collaria, nec pílea quadrata, nec galerículi pro fratribus: ínsuper loco zonæ circumducátur cíngulum nigrum, ex filo contextum, latéribus ligatum, aliquántulum pendens usque ad genua.

## CAPUT VIII

DE ADMITTENDIS  
AD NOSTRUM HABITUM

314. Si qui inveniantur iuvenes boni ingenii a prima adolescentia ad statum religiosum dispósiti, operæ pretium erit eos admitttere tamquam probandos in aliquam domum probandatus, in qua adiuventur in religiosa vocatione et rite instituantur iuxta normas peculiares pro his nostris dómibus statutas. Si qui vero reperiantur iam illis conditionibus prædicti, quæ requiruntur pro admissione, antequam ad noviciatum recipientur satis erit ut, per mensem vel saltem quíndecim dies in habitu sacerdotali, sed modesto, nobiscum vivant, nisi agatur de postulantibus fratribus, pro quibus normæ peculiares servandæ sunt.

315. Omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibére debent testimonium recepti baptismatis ac confirmationis, neconon testimoniales litteras Ordinarii originis ac ciusque loci in quo, post expletum decimum

quartum ætatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio. Serventur insuper quæ in Codice præscribuntur pro diversis cásibus de quibus in cn. 544 §§ 3, 4 et 5.

316. Inválide ad noviciatum admittuntur:

1º Apostatae a fide catholica, qui sectæ aca-tholicæ, hæreticæ vel schismaticæ nomen dedérunt;

2º Qui ætatem quindecim saltem annorum nondum explevérunt;

3º Qui Religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eódem modo inductus récipit;

4º Coniux durante matrimonio;

5º Qui obstringuntur vel obstrícti fuérunt vínculo professionis religiosæ;

6º Ii, quibus imminet poena ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt vel accusari possunt;

7º Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

8º Clérici qui ex instituto Sanctæ Sedis iureurando tenentur operam suam navare in bonum suæ diocesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisurandi obligatio perdúrat (cn. 542, 1º).

317. Illícite, sed válide admittuntur:

1º Clerici in sacris constituti, inconsulto Ordinario loci aut eódem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod áliter vitari mímine possit;

2º Ære alieno gravati qui solvendo pares non sint;

3º Reddendæ rationi obnóxii aut aliis sæcularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias Religio timére possit;

4º Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviæ, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

5º Ad sacerdotium in Religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate alióve canonico impedimento;

6º Orientales in latinis Religionibus sine venia scripto data Sacræ Congregationis pro Ecclesia Orientali (cn. 542, 2º).

318. Qui recipiendi erunt, priúsquam habitu nostro vestiantur, certiores fiant de iuramentis a se emittendis ante professionem, ut plenius de his suo tempore deliberare possint vel consilium mutare ante susceptionem habitus. Signum novitiatus erit cingulum coriáceum (cfr. en. 533).

319. Domus novitiatus a Consilio provinciali pleno ad normam n. 137 designatur, sed canonice érigi nequit, nisi de licentia Sedis Apostolicæ. Plures in eádem Provincia novitiatus domus designari néqueunt, nisi gravi de causa et cum speciali Apostolico indulto (cn. 554 §§ 1 et 2).

**CAPUT IX**  
**DE NOVITIORUM INSTITUTIONE**

320. Novitiorum institutioni præficiendus est Magister, qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, Religionis observantia conspicuus et in sacerdotio constitutus (cn. 559 § 1).

321. Quamobrem enixe studebit Consilium provinciale aliquem nominare, qui omnibus pólleat requisitis ad normam nn. 26 et 27 et idoneus existimetur qui tantam provinciam óbeat et iis demum sit cumulate virtutibus ornatus, quas officii impósiti dígnitas póstulat.

322. Si ob novitiorum númerum vel aliam iustum causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum a Præposito provinciali adiungatur socius, eídem immediate subiec-tus in iis quæ ad novitiatus régimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque

saltem a prima professione professus, cum ceteris dótibus necessariis et opportunis (cfr. cn. 559 § 2).

323. Diligenter observabit Magister quem in virtutibus progressum novitii fécerint, quem ex oratione aut ex mortificationibus fructum retúlerint, quam speciem íngerant futuræ probitatis et doctrinæ atque de uniuscuiusque progressu, moribus, ingenio Præpositos provinciales singulis mensibus per litteras edocébit (cfr. cn. 563).

324. Meminerit sui præsertim múnéris esse, ad normam cánonum 562 et 565, spíritus interni culturam summo studio exercére, quam ne umquam négligat, monemus et hortamur in Domino, cui commissi huius gregis in novissimo die reddenda est ratio; omnem ideo movebit lápidem, ut pietatem, modestiam, verecundum animum índuant et maximum in institutum, quod amplexi sunt, amorem immo et ardorem.

325. Loca novitiatus a professorum concálibus seu dómibus sint omnino seiuncta,

solitaria, quæ hospitum commeantium frequentia non pertubentur, in quibus solum religiosum tirocinium probe et náviter instituatur et ea præsertim seligentur, quæ salubritate cœli aërisque temperie et a-mœnitate máxime commendentur. Etiam fratres annum novitiatus in domo canonice erecta perágere omníno debent (cfr. cn. 564).

326. Singulis etiam novitiis singulæ ad dormiendum cellulæ assignentur. Præter ecclésiam, in quam ad recitandas diurnas et nocturnas preces statis horis novitii convenient, oratorium sit intra illorum claustrum ad réliqua spiritualia exercitia péragenda et, si fieri commode pôterit, etiam hortus ad honestam recreationem a sæcularium prospectu remotus.

327. Illud prætérea cavendum volumnus, ne cuíquam novitio, quo tempore tirociniū Religionis ponit, domo novitiatus egrediendi, apud sæculares pernoctandi seu convivendi facultas concedatur, nisi grave

id expóstulet infirmitatis periculum, neque de loco in alium dimoveatur, nisi Præpositus provincialis gravi obórtā occasione se-cus décréverit.

328. Præter alia quæ supra, n. 316, ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, péragi debet per annum íntegrum et contínuum, necnon in ipsa domo novitiatus (cn. 555 § 1). Quod si quando iusta grávíque de causa novitiatus interrumpatur, standum est præscriptis canonis 556.

329. Ad Confessiones novitiorum quod áttinet, standum est páriter præscriptis iuriis communis. In specie autem quater in anno detur novitiis confessarius extraordina-rius, ad quem omnes accédant saltem benedictionem recepturi (cfr. cn. 566 § 2).

330. Ante professionem votorum simpli-cium novitus debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringétur, bonorum suo-rum administrationem cédere cui maluerit et de eorum usu et usufructu lóbere dispónere.

Quod si ea cessio ac dispositio prætermissa fuerit ob defectum bonorum et hæc postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas supra statutas, non obstante simplici professione emissa (cn. 569 §§ 1 et 2).

331. In novitiatus decursu si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitus renuntiaverit eadémve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est (cn. 568).

332. Iam vero, quemádmodum in admittendis ad novitiatum caute et prudenter agendum est, ita si qui minus ad onus ferendum Religionis idonei videbuntur nullumque sp̄cimen præséferant aut constantiæ aut bonæ indolis, recte illorum animis exploratis, reiciendi facile erunt a capitulo de consensu Præpositi provincialis; qua in re nulla erit habenda ratio humanæ personæ, sed solus Dei honor et Ordinis utilitas perpenda.

333. Si dubium supérsit sitne idoneus, protest a Superiore provinciali novitiatus tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari (cn. 571 § 2).

## CAPUT X

### DE ADMITTENDIS AD PROFESSIONEM SIMPLICEM ET SOLLEMNEM

334. Ad validitatem primæ religiosæ professionis apud nos requíritur ut:

1º Qui eam emissurus est sextum saltem et decimum ætatis annum expléverit;

2º Eum ad professionem admittat Præpositus provincialis de consensu capituli collegialis domus novitiatus;

3º Novitiatus validus ad normam nn. 316 et 328 præcésserit;

4º Professio sine vi aut metu gravi aut do-lo emittatur, sive ex parte Religionis sive ex parte profitentis;

5º Sit expressa;

6º A Præposito generali vel provinciali per

se vel per alium recipiatur (cfr. cn. 572 § 1).

335. Formula nuncupandorum votorum clericis latina sit, fratribus vernáculo sermone.

336. Norint autem fratres nostri sibi prorsus esse interdictam ad clericalem habitum, ad primam tonsuram et ordines promotionem. Proinde ante votorum nuncupationem sibi probe compertam esse hanc constitutionem contestentur.

337. Novitus post expletum novitiatum in ipsa novitiatus domo debet votis sollemnibus præmittere votorum simplicium professionem ad triennium valitaram vel ad longius tempus, si ætas ad sollemnem professionem requisita longius distet. Hoc tempus Præpositus provincialis potest, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium (n. 574).

338. Professus a votis simplicibus antea nequit válide sed intra sexaginta dies ante

professionem sollemnem debet omnibus bonis quæ actu habet, cui maluerit, sub conditione securitæ professionis renuntiare. Sequuta professione, ea omnia statim fiant quæ necessaria sunt, ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur (cn. 581).

339. Ad validitatem demum professionis sollemnisi, præter cétera servanda, requiritur ut præcesserit simplex professio temporaria ad normam n. 337, utque prófitens vicesimum primum ætatis annum expléverit eumque ad professionem admittat Præpositus provincialis cum voto consultivo capitulo collegialis (cfr. cnn. 572 § 2 et 575 § 2).

## CAPUT XI

### DE STUDIORUM DOMIBUS, DE RATIONE STUDENDI AC DE PRÆVIA LIBRORUM CENSURA

340. Nuncupatis votis, clerici sive simplíciter sive sollémniter profesi, toto studiorum currículo in dómibus ad hoc speciáliter destinatis commorabuntur et committantur

speciali curæ Præfecti seu Magistri spiritus, morum integritate, doctrina excellentis ceterisque qualitatibus requisitis prædicti, qui eorum animos ad vitam religiosam infórmet opportunis mónitis, instructionibus atque exhortationibus. Superior autem dabit cum primis operam ut leges, quæ pro illis sanctitiae sunt, quæque nec iuri communi aut hisce Constitutionibus opponantur, exacte obseruentur (cfr. cn. 588).

341. In studiorum domo vígeat perfecta vita communis; secus studentes ad ordines promovéri néqueunt (cn. 587 § 2), et ibi Superiores ne cóllocent nisi religiosos, qui sint ad exemplum regularis observantiae studio (cn. 554. § 3); atque sedulo invígent, ut ea quæ circa regularem observantiam pro omnibus religiosis præscribuntur, in studiorum domo perfectissime obseruentur (cn. 588 § 3).

342. Religiosi, in inferiòribus disciplinis rite instructi, in philosophiæ studia saltem

per biennium et sacræ theologiæ saltem per quadriennium diligenter incumbant (cn. 589 § 1). Philosophiæ rationalis ac theologiæ studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angélici Doctoris rationem, doctrinam et principia eaque sancte téneant (cn. 1366 § 2). Curandum autem est, ut secundum nostram "Rationem studiorum" et instructio-nes ac statuta ab Apostolica Sede adproba-ta studia peragantur.

343. Céterum Nostri liberalibus disciplini-nis, sacris præsertim litteris et canónibus excolantur, atque, ut Deo Optimo Maximo et sanctæ Ecclesie suam operam præstare aliquando possint, linguis etiam, præsertim bīblicis, erudiantur.

344. Præpositus demum generalis et Provin-ciales tempore visitationis de cuiuscumque in studiis profectu diligentissime in-quírent; si expedire vidébitur, exámen instí-tuent se coram et adhésbitis præceptoribus periculum facient singulorum.

345. Religiosi sacerdotes post absolutum studiorum curriculum quotannis saltem per quinquennium a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinæ sacræ disciplinis antea opportune designatis. Excipiuntur qui vel sacram theologiam vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam dóceant; qui a Superioribus maióribus grávem ob causam fúerint exempti (cfr. cn. 590).

346. Vetantur religiosi sine licentia Præpositi provincialis et Ordinarii loci libros quoscumque etiámsi de rebus profanis tractent, édere et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel éadem moderari (cn. 1386 § 1). Itaque Præpositus provincialis libros, quos subditi édere volúerint, duobus ex nostris pátribus theologis ántequam imprimántur, legendos et diligenter examinandos committet, horumque partes erunt non solum accurate perpéndere an aliquis error irrépserit, sed etiam an digni sint qui lucem aspiciant eruditorum, servatis fideliter Ecclesiæ præscriptis. Excluduntur tamen libri de rebus philosophicis vel theologicis ex

professo tractantes, qui adprobationi Præpositi generalis servandi sunt.

## CAPUT XII

### DE AGGREGATIS

347. Varietate domorum nostri Ordinis inspecta, non inutile erit, si quis laicus se obtúlerit, qui professioni mímine sit idoneus, aptus tamen iudicetur ad áliqua múnera obbeunda, maxime in locis orphanorum, illum nostro Ordini aggregare. Hoc a Præposito provinciali cum suo Consilio fiet, conditio-nibus infra statutis et pro singulis cásibus statuendis, præsertim circa observantiam paupertatis.

348. Qui Ordini nostro se aggregare volúerit, óbliget se ad hábitum nostrum deferendum et ad servandam religiosam disciplinam sub Superiorum obœdientia iuxta consuetudines nostras in domo, in qua com-moratur. Et, dum nobiscum erit, omnibus privilegiis et gratiis fruétur, nec non suf-fragiis.

349. Sin autem, tēporis progressu, in vita religiosa mínime acquiescens, in Ordine perseverare noluerit, liberum ei sit ad sæculum redire, sicut liberum est Superioribus, iustis de causis, eum ex Ordine reicere.

350. Sacerdotes etiam, si ita ad maiorem Dei gloriam et ad Ordinis commodum expedire vidēbitur, a Præposito provinciali cum suo Consilio aliquando aggregari poterunt, modo eamdem vivendi rationem cum ceteris professis suscipiant, nec umquam pecunias apud se retinére sub ullo prætextu præsumant, quod etiam aggregatis laicis vétitum sit.

351. Volumus tandem ut hac ratione aggregati, qui nobiscum vivunt, privata vota castitatis, paupertatis et oboedientiæ in manu sui Superioris post experimentum sex saltem mensium profiteantur, quorum obligatio duret, quoúque nobiscum fúerint.

352. Præter hos aggregatos ad nostram vitam communem, volumus ut álii etiam ag-

gregari possint "in spiritualibus" tantum, quam aggregationem unus Præpositus generalis cónferet, tum viris spectatæ virtutis, tum piis matronis de Ordine nostro vere benemerentibus.

### CAPUT XIII

#### DE FABRICIS ERIGENDIS

353. Magni momenti novæ edificiorum electiones existimandæ sunt, nec absque Consiliariorum seu Seniorum patrum consultatione et consensu Præpositi vel Rectores quidquam tentabunt, hábita ínsuper débita facultate a Præposito provinciali eiusque Consilio ad normam n. 138, 2º vel etiam a Præposito generali eiusque Consilio si agátur de re magni momenti, et servatis iuris præscriptis ac nn. 147 et 148.

354. Si quid vero reparandum instaurandumve erit, observentur præscripta Definitiorii, si quæ sint, et normæ sive nostræ peculiares sive iuris.

355. In ædificiis vero erigendis illud spectare debebunt patres ne, vel amplitudine vel magnificentia operisve structura, paupertatis et modestiae obliviscantur; ne ullus sit in sæcularium domos prospectus et, si qui iam sint, omnino obstruantur. Incurrat in oculos introëuntum nostra collegia et domos, ante et intra ostium, sacra Christi crucem deferentis effigies affabre et eleganter depicta vel sculptura perpolite cælata.

#### CAPUT XIV

#### DE CURA ET REGIMINE ORPHANORUM

356. Cum Ordo noster fundamenta olim iécerit in pia orphanorum institutione et cura, ratio etiam póstulat ne illam posthábeant pósteri, sed quanta possumus contentionе et alacritate conandum est nobis, ut tam pium opus amplectamur, prosequamur omníque solicitudine, summo pietatis affectu ad illud illustrandum et augendum ex-citémur, ut sancti Patris nostri Hieronymi Æmiliani vestigiis insistentes intensem pie-

tatis illius ardorem nostris pectoribus cōfoveamus, qui huiusmodi cum primis piis actionibus militiam Christo nostram eréxit.

357. Rectores ígitur et ceconomos (quos communi vocabulo commissos vocamus) ad orphanos regendos patres destinabunt caritate maxime flagrantes, ita ut cum priscis nostris patribus, qui in hoc ópere misericordiæ sédulo sese occupárint, comparari possint et avítam illam maiorum nostrorum hac in re gloriam non solum conservent, sed, si fieri possit, etiam aúgeant et illustrent.

358. Quílibet próinde sacerdos orphanorum curæ destinatus operam dabit ut primas eorum instituendorum partes christiana educatio, pietas optimorumque morum informatio óccupet; curabit ut omnes singulis ménibus peccata sacramentali éxpiant confessione, ætate maiores quintodecimo quoque die vel frequentius, si opus sit; nam, cum omnes quotidie sancto Missæ sacrificio interesse débeant, vehementer hortamur ut

Rector promóveat prudenter frequentem im-  
mo et quotidianam communionem.

359. Verum ut tam pii operis, iure quasi hereditario a nostro Instituto gloriósae et sanctae memoriae Hieronymo Æmiliano nobis traditi, vígeat apud nos exacta obser-  
vantia, de orphanorum régimine peculiarem libellum compósitum, in quo plenius ac fu-  
sius singillatim omnia traduntur quæ ad hoc religiosum institutum augendum et diu con-  
servandum spectant, sínguli Rectores ha-  
bebunt, cuius a præscriptis ne latum quidem unguem recédent.

360. Ut in omnibus nostris dómibus de-  
cernimus sancti nostri Institutoris Hierony-  
mi Æmiliani effigiem pictura adumbratam,  
ubíque ad piam illius memoriam conservan-  
dam et devotionem excitandam, eminenti  
loco érigi; ita in orphanotrophiis, maxime  
quæ Ipse instituit, Parentis nostri memoria  
conservetur: in dormitorio, in officinis et  
refectorio eiusdem sancti Patris nostri ef-  
figies picta item erigátur.

## CAPUT XV

DE SEMINARIORUM ET  
CONVICTORUM REGIMINE

361. Si quando régimen et cura Semina-  
riorum nostro Ordini tradatur, Superiores,  
præter ea quæ in nostris Constitutionibus  
statuúntur, observent appríme cánones om-  
nes, qui in Codice iuris canónici sancíti sunt  
(cfr. cnn. 1354-1371) et instructiones Sanctæ  
Sedis tum quoad spiritualem directionem,  
tum quoad studia, tum quoad administra-  
tionem, tum quoad dependentiam ab Ordi-  
nario.

362. Ut autem pretiosissimum colendorum  
iúvenum officium melius obtineatur, a Con-  
silio provinciali patres eligentur qui ad in-  
formandos adolescentes sint non doctrina  
tantum, sed etiam virtutibus et prudentia  
præstantes, qui verbo et exemplo alumnis  
prodesse possint, qui sint gravitate, rerum  
personarumque diurna experientia magis  
quam ætate seniores, animarum zelo fer-  
ventes ceterisque virtutibus excellentes.

363. Summòpere sàtagant Rectores ut adolescentes provectiores àetate et studio uberioris ac perfectius catechésim éxcolant; instructionem comitetur expositio præcipiarum narrationum historiæ sacræ vel etiam historiæ ecclesiasticæ.

364. Quod ad sacramenta convictoribus administranda eorumque corpora sepelienda spectat, agatur ad normam iuris communis et privilegiorum nostri Ordinis (cfr. cn. 514 §§ 1 et 4).

365. Si quem ex Nostris animadverterint nimia familiaritate suspectum, paterne primo móneant, tum corripiant coram Vicerectore; et nisi correptus emendetur, alio mitendum curent et de eo Præpositus provincialis ad Consilium provinciale réferat, ut illius saluti et Ordinis existimationi consulatur; sed ínterim impunitus non relinquatur. Si eo familiaritas procésserit ut, cum Vicerectoris consilio, ille sit omnino amovendus, præcidatur statim omnis suspectæ familiaritatis occasio, et prudentia qua fieri

poterit maxima occurratur ne quid mali succédat.

## CAPUT XVI

### DE PUELLIS ORPHANIS REGENDIS IN SPIRITALIBUS

366. Demum, quod áttinet ad puellas orphanas in spiritualibus regendas, ipsarum ordinarii confessarii non a Superiore locali, sed a Præposito provinciali deligantur et præsententur Ordinario loci ad normam iuris; àetate ad minus illi sint annorum triginta quinque, vitæ probitate, morum pie-tate ac prudentia senes.

367. Céterum serventur cánones iuris communis et decreta particularia Capituli vel Definitorii generalis (cfr. cn. 909, 910 § 1).

## **LIBER QUARTUS**

### **DE CULPIS ET PŒNIS**

**AC**

### **DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM**

#### **CAPUT I**

##### **DE CULPIS ET PŒNIS**

368. Cum nostræ Constitutiones nullius culpæ reatu, nisi in cásibus suo loco expressis, obligent, æquum est ut transgressores aliqua saltem pœna afficiantur, ne legum institutione contenti illarum observantiam negligamus. Quamvis enim rectæ prudentiæ proprium sit in privatis culpis omnia attento animo intuéri, multa dissimulare, pauca corrígere, tamen, cum agitur de transgressionibus publicis et manifestis, Superioris

officium est opportune corrígere, ne eius silentium vel quiescentia consensionis speciem præséferat, neve inde malum communitatis oriatur.

369. Si quis notabilis culpæ reus convictus fuerit, cui nulla specialis vel a iure vel a Constitutionibus poena sit impósa, tunc Superior loci, adhísito consilio duorum vel trium Seniorum, a prævaricatore fratre pœnam quam censúerit æqualem delicto répetat. Qua in re semper habebitur ratio qualitatis, malitiæ, reincidentiæ, consuetudinis, facilitatis in delinquendo, pertinaciæ, mali exempli et huiúsmodi, ita ut pro rerum adiunctis poena augéri in omnibus possit, ubi culpa notabiliter augetur. Eníxe vero hortamur ut in pœnis infligendis procedatur caute, perpensis circumstantiis, maxima consideratione et prudentia, mímine autem ex ira aut animi motu, quia cum pœnæ institutæ sint in ædificationem, non in destructionem, curandum est ne in vacuum aut in ruinam cedant.

370. Quando in Constitutionibus pœna indícitur privationis ab officio, propter multa incommoda et pericula quæ inde plerumque solent emérgere, declaramus transgressores ad eam luendam non statim tenéri, sed quando iam convicti coram Superiore eiúsmodi sententia declaratoria decreta fúerit in Consilio generali et ab eódem fuerit confirmata. Salva semper in Præposito generali vel provinciali auctoritate procedendi ex officio, si delictum aliquod moram non patiatur.

371. Quoties autem quis privabitur professionis loco et voce, tunc ille in nulla electione suffragium feret, nullum gradum in Ordine obtinebit, in capitulo collegiali ultimus post clericos professos culpas suas accusabit ultimumque locum post professos habebit. Frater professionis loco privatus post fratres similiter sedebit.

372. Culpæ leves, exempli gratia: parvæ transgressiones Constitutionum in materia levi, fortuitæ negligentiæ in exsequendis

propriis officiis, parvæ irreverentiae erga Superiores, defectus humanitatis, comitatis, caritatis vel decentiæ, transgressio silentii tempore assignato, lévitas in sermone et similia, lévibus pœnis puniantur. Opportunum erit corrígere et admonére antea privatum, deinde, si opus fuerit, publice, iniungendo intérduum aliquas breves preces aut visitationem SS. Sacramenti aut aliquot humilitatis vel mortificationis exterioris actus et similia ex Superioris iudicio.

373. Culpæ maioris pónderis sunt notabiles defectus reverentiæ erga Superiores aut caritatis erga confratres, habitualis incuria in adimplendis oboedientiæ munéribus, transgressiones Constitutionum in materia gravi aut etiám in materia levi, sed cum contemptu legis et communi scando, hábitus adversi bonis normis modestiæ, pietatis ceterarumque religiosarum virtutum cum pacis, concordiæ et regularis disciplinæ violandæ periculo. Pro hisce culpis Superior, postquam inániter evádere privatas admonitiones víderit, ad publicas et sollemnes re-

cúrrat; quod ubi non sufficiat, reos puniat indíicens silentium per áliquot dies servandum in cubículo vel aliam graviorem humiliationem aut mortificationem impónens cum consilio Seniorum.

374. Quod si quis maioris culpæ reus neque post prædictas punitiones emendationis signa déderit, Superior Præpositum provinciale certiorem faciat, qui audito suo Consilio, in reos animadvertis ratione quam opportuniorem iudicabit, illud ante omnia inténdens ut scandalum avertat, si adsit, bonum spiritum et regularem disciplinam tueatur, nec sinat abúsus et perturbationes sérpere. Ad id consequendum póterit pœnas maiores assignare, útpote cursum exercitiorum domi vel in aliena religiosa familia complendum, aut impónere ut delinquens per aliquod tempus domo non éxeat maneátque a ceteris segregatus. Si vero, pœnitens facti, sponte veniam reus petat, tunc mitius cum eo agendum.

375. Quia non inténdimus elenchum trádere pœnarum pro síngulis delictis, Supe-

riores omnes Religionis nostræ in applicandis poenis præ oculis hábeant normas Codicis iuris canónicis vel, in harum defectu, normas legitima consuetudine apud nos receptas.

376. Et quoniam Superiores subditis exemplo sint oportet, volumus ut Præpositi provinciales attente vīgilent super rationem vītæ non solum religiosorum subditorum, sed etiam Superiorum localium; quos si reos alicuius delicti vel negligentes in urgenda regulari observantia invénerint, monére atque etiam punire ne omittant, certiore ínterim facto Præposito generali, si ipsi rei non se emendáverint vel recidivi fúerint.

## CAPUT II

### DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA SIMPLICIA NUNCUPARUNT

377. Cum non detur institutio tam sancta, quo corruptio humanæ naturæ irréperere non

audeat, non obstantibus Constitutionum cautionibus, indigni etiam in Ordine inventientur, qui sine præiudicio ipsius Ordinis retinéri non pótérunt, cum despícant Constitutiones, alias sedúcant aut perturbent, piétatem offendant, perfectionem ceterorum impedianc, intra extráque muros scandalum pariant: eiúsmodi dimíttere iustitia et caritas urgent, servatis normis iuris ut infra.

378. Professum a votis temporariis in Ordine nostro dimíttere potest Præpositus generalis cum consensu sui Consilii per secreta suffragia manifestato, maioritate absoluta (cfr. cn. 647 § 1).

379. Religiosum autem dimíttere Præpositus generalis eiusque Consiliarii néqueunt, gráviter eorum onerata conscientia, nisi servatis quæ sequuntur:

- 1º Causæ dimissionis debent esse graves;
- 2º Possunt habéri sive ex parte Religionis sive ex parte religiosi. Defectus spiritus religiosi, qui aliis sit scandalo, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una

cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam;

3º Licet Superiori dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formaliter iudicio comprobentur. At religiosi semper manifestari debent, data eidem plena respondendi licentia; eiusque responsiones Superiori dimittenti fideleriter subciciantur;

4º Contra dimissionis decretum est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam et, pendente recursu, dummodo interpositus fuerit intra decem dies ab intimatione dimissionis, ipsa dimissio nullum habet iuridicum effectum (cn. 647 §§ 2, 3 et 4).

380. Religiosus dimissus ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto canonum 641 § 1 et 642; clericus autem in minoribus ordinibus con-

stitutus eo ipso redactus est in statum laicalem (cn. 648).

### CAPUT III

#### DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA SOLLEMNIA NUNCUPARUNT

381. Religiosus professus a votis sollemnibus in Ordine nostro ne dimittatur, nisi processu instituto, salvo praescripto canonum 646 et 668 (cfr. cn. 654).

382. Ad sententiam dimissionis ferendam competens est apud nos Praepositus generalis cum suo Consilio, quod saltem quatuor religiosis constet; si qui deficiant, eorum loco totidem religiosos eligat ipse Praepositus de consensu aliorum qui cum eo tribunal collegiale constituant. Praepositus generalis de aliorum consensu Promotorem iustitiae nominet ad normam canonis 1589 § 2 (cn. 655).

383. Ad processum instruendum deveníri nequit nisi præcésserint:

1º Gravia delicta externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius;

2º Monitiones;

3º Defectus emendationis (cn. 656).

384. Delicta debent esse saltem tria eiusdem speciei vel, si diversæ, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut unum tantum pérmanens quod ex repetítis monitionibus virtuáliter triplex fiat (cn. 657).

385. Ad monitionem faciendam necesse est ut aut delictum sit notorium aut de eódem constet ex rei confessione extrajudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus, quas prævia inquisitio suppeditáverit. In inquisitione peragenda serventur, congrua congruis referendo, præscripta canonis 1939 et seqq. (cn. 658).

386. Monitio fieri debet ab immediato Superiori maiori per se vel per alium de eius mandato; sed Superior mandatum ne det nisi prævia informatione facti ad normam n. 385; datum vero mandatum pro prima monitione váleat etiam pro álera (cn. 659).

387. Duæ debent esse monitiones, scilicet singulæ pro singulis duobus primis delictis; in delictis autem continuatis seu permanentibus intercédat necesse est inter primam et áleram monitionem saltem trium dierum integrum spatium (cn. 660).

388. Monitionibus Superior addat oportunas exhortationes et correctiones, præscriptis insuper pœnitentiis aliisque remediis pœnalibus, quæ apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem. Prætérea tenetur Superior reum ab occasionibus relabendi removére etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquen-

di occasio. Singulis monitionibus adiciatur dimissionis comminatio (cn. 661).

389. Religiosus censétur se non emendas-  
se, si post secundam monitionem novum  
delictum commíserit vel in eódem perma-  
nenter perstíterit; post ultimam monitionem  
sex saltem dies erit expectandum, átequam  
ad ulteriora progressus fiat (cn. 662).

390. Immediatus Superior maior, post-  
quam monitiones et correctiones incassum  
césserint, omnia acta et documenta colligat  
et ad supremum Moderatorem transmittat;  
hic autem ea trádere debet Promotori iu-  
stitiæ qui ea exáminet et suas conclusiones  
propónat (cn. 663).

391. Si Promotor iustitiæ, cui fas est et-  
iam ulteriores inquisitiones quas opportu-  
nas iudicáverit perágere, accusationem pro-  
pónat, instruatur processus, servatis præ-  
scriptis cánonum in prima parte libri quarti  
Codicis iuris canonici, congrua congruis  
referendo. Ex processu constare debet de

delictis patratis, de præmissa dúplici moni-  
tione et de defectu emendationis (cn. 664).

392. Tribunal, diligenter perpensis allega-  
tionibus tum Promotoris iustitiæ tum rei,  
si quidem iudicáverit satis probata esse ea  
de quibus in n. 391, sententiam dimissionis  
pronuntiet (cn. 665).

393. Sententia execucioni mandari nequit,  
nisi fuerit a Sacra Congregatione confirma-  
ta, ad quam tribunalis Præses et senten-  
tiā et omnia acta processus quamprimum  
transmíttere curabit (cn. 666).

394. Sed nos in Domino fidimus, inter-  
cedente sancto Patre nostro Hierónymo,  
numquam ad huiúsmodi extrema media pro-  
cedendum esse. Quare potius singulos re-  
ligiosos nostros eníxe rogamus ut, sancti  
Conditoris spiritu imbúti ac gratia Dei ro-  
boráti, diligenti studio insístant in emendan-  
dis suis defectibus et contendant pravas et  
malas víncere corruptelas, vota professionis  
suæ nec non præscripta Constitutionum

exacte servantes; ad hoc omne nostrum exercitium redundet in laudem et gloriam Dei sitque proximo nostro pacis, ædificationis et salutis exemplum.

INDEX ANALYTICO - ALPHABETICUS  
(Aliquot canones opportune adduntur)

A

**Abdicatio** - *voluntatis*, 5;  
—*electionis*, quando valeat, 34.

**Abnegatio** - *voluntatis*, 5.

**Absentia** - *a domo*, cnn. 587 § 4; 606 § 2; tempore Cap. gen. vel Defin. quæ culpa sit, 280;  
—*electoris* Cap. gen. qua ratione habenda, 30;  
Cap. prov., 114; (cfr. *Substitutio*).

**Absolutio** - *a reservatis* in Religione, 189, 190.

**Accessus** - ad domum mulierum interdictus, 237;  
ad loca publica se recreandi vel reficiendi  
causa, 238.

**Acta** - Cap. gen. mandatum Procuratoris gener.  
ibi referatur, 76; ea scribit Cancellarius gen.,  
86; qui nulli ea ostendat, nisi etc., 87;

—*Capituli prov.* confirmat Consilium gen., 69  
§ 3; normæ ad validitatem Cap. prov. ibi  
transcribendæ, 119; cui mittenda Acta Cap.  
prov., 121, et Cons. prov., 121, 129; in tabulario  
Prov. adservanda, 121;

—*Consilii prov.* mittenda Præposito gen.; 129;  
—*cap. loc.* in electione Socii, 110; quid ibi adno-

tandum, 285; documenta professionis, can. 576 § 2;  
—pro dimittendis relig., 138 5<sup>o</sup>, 390, 393.  
**Actarius** - (cfr. *Cancellarius*).  
**Adhortatio** - (cfr. *Oratio*).  
**Administratio** - (cfr. *Economus*).  
**Admissiones** - ad novit., profess., ordin., 125 § 1;  
ad confess. et prædic., ib. § 2.  
**Adolescentuli** - in cubiculum non introducendi,  
209; familiaritas cum illis punienda, 365.  
**Adprobatio** - (cfr. *Confirmatio*, Acta Cap. et  
Cons. prov.); administr., 70 § 5, 93 6<sup>o</sup>, 137,  
138 5<sup>o</sup>.  
**Adsistentes** - *generales* qui sint, 7; intersunt  
Cap. gen., 13, et Defin., 89; præcedentia, 95;  
(cfr. *Honor*).  
**Adspirantes** - (cfr. *Probandi*; *Fratres*).  
**Ædificia** - erectio, reparatio, 354, 355.  
**Æmiliani** - S. HIERONYMUS Fundator no-  
ster, 1-2, 281, 356, 359-360.  
**Ætas** - ad novit., 316 2<sup>o</sup>; ad profess. simpl.,  
334 1<sup>o</sup>, et soll., 339; Magistri novit., 320; eius  
socii, 322; pro dignitate gener., 27, 51; et  
provinc., 27; Sociorum, 109; confessariorum  
puellarum, 366.  
**Affines** - (cfr. *Consanguinei*).  
**Aggregatus** - *ad habitum*: quis et a quo possit  
aggreg. etc., 347; obligationes, 348; an et quo-  
modo sacerd. aggregentur, 350; quæ vota e-  
mittenda, 351; quoad suffr., 348; quoad præ-  
ced., 98;  
—*in spiritualibus*, 352.  
**Alienatio** - bonorum, (cfr. *Bona*).  
**Anniversarium** - nostrorum defunct., 180.  
**Annus** - fundationis Ordinis nostri, 1 (1528);  
—natalis, 5 (1568).  
**Apostolicum** - rescriptum, (cfr. *Sancta Sedes*).

**Arca** - (cfr. *Capsa*).  
**Archivum** - Procuræ, 81; provinc., 119, 121; lo-  
cale, 273, cn. 576 § 2; parœc., cn. 473 § 2.  
**Aurum** - vel quæcumque res ex auro etc. veta-  
tur Nostris, 221.

**B**

**Benedictio** - petenda ab egredient. et ingred. do-  
mo, 235;  
—*Apostolica* in art. mortis cn. 468 § 2.

**Benefactores** - preces pro iis, 172.  
**Bona** - alienanda, quando, a quo, quomodo, cfr.  
cn. 584; immobilia non possidenda, 219; quæ  
parocho eveniunt ad quos pertineant, 301 et  
cn. 630 § 4; quæ professis, 219, 330; (cfr. *Re-  
nuntiatio*); pretiosa, cn. 534.  
**Bullarium** - (cfr. *Privilegia*).

**C**

**Cæmeronie** - (cfr. *Rituale seu Ritus*).  
**Calculi** - in elect. Præp. gen. et Dignit. gen.  
41-42; a solis scrutatoribus videndi, 38; quot  
calculis utatur Præp. gen. et quando duplici  
utatur, 37.

**Calendarium** - (cfr. *Kalendarium*).  
**Cancellarius** - *gen.* quis, 7; est ultimus Cons.  
gen., 65; est tabellio seu notarius Ord., 85,  
86; quomodo eligatur 41-42; munus, 85-87;  
pro negotiis ecclesiasticis universi Ordinis,  
85; durat ad sexennium, 85; quem substituat,  
85; subscrbit Acta, 86; quid prohibeatur fa-  
cere, 87;  
—*prov.* est alter Cons. prov. 134;  
—*localis* seu colleg.: electio et officium, 285; quan-  
to tempore duraturus, 286.  
**Capitulum** - *gen.* Ordini gubernando præst, 6;

eligit Præp. gen., 12, 17, 40; et Dignit. gen. 40; elections quando facienda, 22; (cfr. *Electiones*); quid si extraordinarie cogatur, 18; a quo convocandum, et quomodo, 13, 18; quibus pertineat Cap. celebrare, 13; quis præsit, 13, 23, 54; quando convocatur, 17, 18; quo tempore et loco, 19; membra de iure, 14-16, 18; sine iure suffragii, 16; absentia legitima declaranda, 15; substitutio quomodo et quando habeatur, 15; celebratio, 13, 20-25; competentia, 40, 43-44, 50, 65, 76, 79, 161; quando cesserent Dign. gen. 23; (cfr. *Officiales*); ordo tractationum, 21, 25, 40, 43, 48; in dubiis, 21; in difficultatibus, 50; quando tractandæ quæstiones, 25, quomodo, 37; proponendæ scripto, 46; prævie examinandæ, 47; (cfr. *Propositiones*); secretum servandum, 24; a quo dimittendum sit Cap. gen. 25;  
—prov. præsedit Provinciæ regendæ, 101, 117 2<sup>o</sup>; eligit Præp. prov., 105, 117; et Cons. prov., 117-120; competentia, 117, 121; convocatur a Præp. prov., 107, 115; quomodo, 107; quando confirmata habeatur convocatio, 113; membra, 108; substitutio absentium, 114; quoties convocatur, 115; locus et tempus, 116; Præses, 108, 118-120, 122; normæ peculiares aliquando servandæ in Cap. prov., 106; religiosus extra suam Prov. qua voce polleat, 112; quid de normis ad validitatem Cap. prov., 119; quando et quomodo confirmandæ elections, 118-120; quid si non confirmantur, 118-120; cui confirmandæ committi possint aliquo in casu, 120;  
—loc. seu colleg.: quid in eo agendum, quando cogendum et qua ratione, 254; quomodo se gerat subditus a Superiore correptus in cap., 256-257; quomodo extra, 201; an Superior

accusare se debeat coram subditis, 258; in eo dicta, gesta non referenda, 262; quis suffragio gaudeat, 259; quid a subditis Sup. requirat, 261; alia convoc. ad negotia executienda, 260; consilium præbet Præp. prov. de nominando oeconomico domus, 291;  
—pro admittendis ad prof. simpl. 332, 334, 2<sup>o</sup>; soll. 339.  
**Capsa** - pecuniarum, 293.  
**Caritas** - 202-206, 224, 230, 244, 261-262, 271.  
**Castigatio** - corporis (cfr. *Mortificatio corporalis*).  
**Castitas** - quomodo servanda, 208-209; quid de adolescentulis in cubicula non introducendis, 209; qua ratione corripiendi contra eam peccantes vel suspecti, 211-212; (cfr. *Errantes*).  
**Casus** - *reservatio* ad quos spectet, cn. 893 § 1; —*liturgicus* et moralis ubi et quando solvendus, 298; discussio casuum pro confessariis, cn. 2377.  
**Catechesis** - et historia eccles. Nostris commendatur, 282; pro conversis et familiaribus, 269; cursus ut efformentur iuvenes idonei ad docendum, 282; pro convictoribus, 363; cfr. in genere cnn. 1329-1335.  
**Censuræ** - adhibendæ a Præp. gen. 57; a Præp. prov. 125 3<sup>o</sup>.  
**Cessio** - seu dispositio bonorum durante profess. simpl., 330-331.  
**Chorus** - (cfr. *Officium divinum*).  
**Cingulum** - coriaceum signum novitiatus, 318; nigrum pro adspirantibus, 313.  
**Clausura** - servanda, 233; papalis quam domus partem afficiat, 233; ad quos spectet eam prescribere, 234; an liceat admittere mulieres, cn. 598; quid de convictis alumnorum, cn. 599; quid cavendum clausuræ custodibus, 235.  
**Clerici** - ad horas can. quando teneantur,

163; ad off. B.M.V., 166; quid requiratur pro adspirantibus ad nostrum habitum, cn. 544 § 3, 4; professi et studentes quoad theologiam et casus solutionem, 298; promovendi ad ordines, in qua dioecesi, cn. 965; quomodo se gerant quoad Superiorum corripientem, 201; litteræ dimissorie quibus concedi possint, cn. 964 §§ 2, 3; notitia emissæ profess. soll. a Superioribus maioribus transmittenda ad parochum baptismi, cn. 576 § 2; recepti subdiacanatus, cn. 1011.

**Coadiutor** - parochi, officia et obligationes, 303, cn. 476 § 4.

**Collaria** - adspirantibus non permittenda, 313.

**Collegia** - *claustralia*, pro Nostris, 4; —adolescentium sunt ex nostro instituto, 3; licentia in scriptis ab Ordinario, 148; episcopali vigilantiæ subsunt, 148; idem de orphanothrophis, oratoriis, etc., 148.

**Colloctiones** - cum mulieribus quæ, quando et quo loco fieri possint, 210; —inter fratres vel cum sæcularibus, 231.

**Colloquia** - cum sæcularibus an et quomodo licent, 239.

**Comitia** - gen. (cfr. *Capitulum gen.*)

**Commissariatus** - qui sint, 100, 1<sup>o</sup>; quomodo regantur, 101; habent Consilium, 101.

**Commissi** - seu *œconomi orphan.*, 179, 357.

**Communio** - *quotidianæ* suadenda, 193; etiam inter alumnos, 358; prima communio, cn. 1330, 1331; —communionis *spiritualis* frequentia, 193.

**Communitas** - maior, quæ sit, 108 4<sup>o</sup>.

**Commutatio** - rerum an et quando prohibita, 218.

**Competentia** - *Cap. gen.*, 40, 43, 44, 48, 50; *Defin.*, 88, 92-93; *Cons. gen.*, 69-73; *Cap. prov.*, 117, 121; *Cons. prov.*, 137-138. (cfr. singula suo loco).

**Concio** - cfr. *Oratio*.

**Concionator** - Officium et præstantia; quis concedat facultatem, 305; eius dotes et studia, 306; professio fidei emittenda, 264; an, quid et quomodo possit pubblicare in suggestu, 308; quid evitandum, cn. 1347; an liceat concionem habere monialibus, 307; an et quomodo aggregatur munus oblatum a Prælatis etc., 309; quando et a quo revocari possit facultas concionandi, 310.

**Confessarii** - a Superiori designandi pro subditis, 189; an possit subditus eligere alios confessarios inter non designatos, 190; extraordinarii quando vocentur, 191, 329; nominandi a Præp. prov. 125, 2<sup>o</sup>, 296; examen prævium, 297; alia requisita, cnn. 887-890; professio fidei, 264.

**Confessio** - peccatorum, quando facienda, 187; generalis totius anni, 192; an Sup. possit excipere confess. subd., 188; orphanorum, 358; puellarum orphanarum, 366; monialium, cn. 876.

**Confirmatio** - *electionis* in genere, 35; (cfr. *Postulatio*); *Actorum Cap. prov.*, 69 § 3; *Cons. prov.*, 70 § 7; *deliberationum* in genere, 70 § 6; *electionis Præp. prov.*, 119-121; et *Consiliariorum prov.*, 118-120; et *Sociorum Cap. prov.*, 113.

**Consanguinei** - quid in suffragiis ferendis, 36.

**Conscientia** - *onerata Superiorum*: quoad curam de fratribus habendam, 159; quoad meditacionem ad omnibus faciendam, 185; quoad otium vitandum, 232; (cfr. *Examen*).

**Consensus** - *Consilii gen.* quando requiratur: in adprobandis causis absentiæ a *Cap. gen.*, 15; si convocetur *Cap. gen.* extraord., 18; pro tempore statuendo, accelerando vel differendo *Cap. gen.*, 19; in solvendis dubiis in *Cap. gen.*,

21; in examinandis prævie et si opus sit in rei-  
ciendis propositionibus Cap. gen. missis, 47; pro-  
ordinandis rebus in Cap. gen. tractandis, 48, 70,  
71; ad sufficiendos ad actum Cons. gen. 73;  
pro adprobatione Actorum Cap. prov., 121;  
pro convocatione Cap. prov. in casu partic.,  
130; pro adprobat. Actorum de quibus n. 137;  
in dubiis circa Constitut., 156; in determinan-  
do tempore feriarum, 241; in coarctandis fa-  
cilitatibus alicuius Super. loc. 276; in nomi-  
nando Cœc. gen., 70 § 2, 290; pro novis fa-  
bricis magni momenti adprobandis, 353; in  
dimiss. relig., 378-379, 382-393; alii casus,  
119, 283, 291;  
—Consilii prov., pro nova domo novitiatus, 319;  
pro nomin. Mag. nov., 321; pro omnibus no-  
minationibus et in causis iudicialibus, 133; pro  
novis fabricis erigendis, nisi etc. 353; alii ca-  
sus 102, 114, 115, 202, 263, 276, 290-291,  
347, 362;  
—Seniorum, seu Consilii localis: 158, 271, 275,  
279, 353. (cfr. Seniores).  
Consiliarii - gen. qui sint, 7; vocantur Dignit.  
vel Officiales gen., 7 2°; quando eligantur, 40;  
quomodo, in Cap. gen., 41-42; quomodo et quan-  
do sufficiantur, 11-12, 23, 62-63, 66, 67, 73,  
83, 85; munus Consil. componi non potest cum  
etc., 9; quamdiu durent, 10; sunt membra Cap.  
gen. et Def., 14, 18, 88; an substituantur, 15;  
quomodo et quando eligendi Pro-consil., 66, 73;  
Cons. extraordinarii ad actum, 67; quid in hoc  
casu, 67; qua potestate polleant, 68; compet-  
tentia, 69-71; Romæ saltem duo habitent, 72;  
semper sunt convocandi, 73; in vera congrega-  
tione consultandi, 74; quando per litteras, 18,  
152; quando munus exerceant, 68; præceden-  
tia, 95-96; Proc. gen. quando sit etiam Cons.

gen., 65; (cfr. Consilium gen.; Consensus);  
quando opus sit consilio tantum Consiliariorum,  
88, 90, 241.  
—prov. ad triennium, sed sunt reeligibles, 103;  
quid si sufficiendi sint durante triennio, 104,  
136; quando cessent, 105; eliguntur in Cap.  
prov., 117, 1°; quomodo autem si deficiant  
durante trien., 136; eliguntur maioritate abso-  
luta, 118; quando aliter elegantur, 118; pri-  
mus Cons. quo in casu moderetur Cap. prov.,  
122; primus est etiam Vic. prov., 134; alter  
est Cancell. prov., ex reliquis assumi potest  
Cœc. prov., 135; semper omnes convocandi sunt,  
133, 140; quid ad valid. Consilii pleni, 140;  
quomodo ad actum sufficientur Consiliarii, 140;  
duo priores sunt membra Cap. gen., 14; quo-  
modo substituantur, 15; Cap. prov. interve-  
niunt, 108; quomodo substituantur, 114; quan-  
do opus sit consilio tantum Consiliariorum,  
149; 197, 374.  
—Vice-prov. primus est Cap. gen. membrum,  
14; quomodo substituantur, 15; adiuvant Vi-  
ce-prov., 101;  
—Commissariatus, adiuvant Commissarium, 101.  
—locales, (cfr. Seniores).  
Consilium - gen., 65-74; quibus constet, 65; an  
Proc. gen. Cons. gen. esse possit, 65; quando  
nominet Præp. prov. etc., 70 § 4, 120; eius  
est adprobare admin. Provincie, 70 § 5, 138 6°;  
et quædam a Cons. prov. proposita, 70 § 7, 137;  
consensum aut consilium præbet Præp. gen.,  
71; (cfr. Consensus).  
—prov., quando nominetur a Cons. gen., 70 § 4,  
120; norma servandæ, 106; plenum quando  
habeatur, 133, 137, 140; munera, 133; semper  
ad Consilium Consiliarii convocandi sunt, 133,  
140; (cfr. Consensus);  
—Vice-prov., est ad normam decr. erectionis etc.,

101.  
—*Commissariatus*, est ad normam etc., 101.  
—*locale seu Seniorum*, (cfr. *Consensus*).  
*Constitutiones* - origo, præstantia, adprobatio, 153; an et quando inducunt in culpam, 154; poenarum usus pro transgress., 155; quid de culpis in Const. non comprehensis, 272; quid si emerserit dubitatio vel obscuritas, 156; an et quando decreta Cap. referantur in Const., 161; legendæ feria sexta, 158; fratribus explicandæ, 159; quid de novis Const. 43, 3<sup>o</sup> 44, 161, 162; vel de earum interpretatione, 57; quid facere possit Proc. gen., 78-79; (cfr. *Errantes*).  
*Contractus* - cn. 534.  
*Controversia* - de competentia, 43, 3<sup>o</sup>; in suffragiis ferendis a quo definienda, 21.  
*Convictores* - quad sacramenta et sepulturam, 364; disciplina, 363; (cfr. *Collegia, Catechesis, Studia*).  
*Convivere* - apud sacerdotes, (cfr. *Pernotare*).  
*Convocandi* - electores ad Cap. et Def. gen., ad Cap. prov. et ad Consilia, (cfr. *Membra*), 14, 16, 18, 74, 89, 108, 133.  
*Convocatio* - et celebratio Cap. gen., 12-13; 19-24; —Cap. prov., 105-108; 115-116, 118-122; —Def., 88, 90-91, 94; —cap. loc., 254, 256-261.  
*Cooperator*, (cfr. *Coadiutor*).  
*Corona* - B. M. V. (cfr. *Rosarium*).  
*Cubicula* - frequenter invisenda a Sup., 220.  
*Culpa* - levis, 372; maioris ponderis, 373, 374; et cfr. 368-376; gravis abesse a dominibus tempore Cap. vel Def. gen., 280; accusanda culpa in cap. loc., 254, 258; (cfr. *Constit., Pœna*).  
*Cultus* - divinus, 43 1<sup>o</sup>.

*Curia Gen.* - locus ad convoc. Cap. gen., 19; ad munera Curiæ gen. quis eligendus, 27, 51.  
*Curriculum* - studiorum (cfr. *Studia*).

## D

- Debita* - non facienda, 275; quid de debitis personæ moralis aut singuli religiosi, cn. 536 §§ 1, 2; poenæ, cn. 536 § 3.  
*Decreta* - S. Sedis, Cap. gen. et Def. imprimantur, legantur publice, 158; Capitulum prov. ea curat ut observentur, 117 2<sup>o</sup>.  
—*erectionis* Vice-prov., 100.  
*Defectus* - etiam minimi non dissimulentur, 155.  
*Definitorium* - Ordinem regit, 6; post Cap. gen. habeatur, si Præp. gen. velit, 25; membra, 89; a quo convoc., 88; substituti, 90; Præses, 90, 54; locus et tempus, 91; competentia, 92-93 (et infra); ritus, 94; quas facul. concedat Proc. gen., 78, quando poenis eundem multet, 81; quando ipsum sufficiat infra sexenn., 83, necnon Consiliarios gen., 61, 66; creat vel mutat vel supprimit Provincias, 99, Commissariatus, Vice-prov., 100; quando ad Def. deferendæ sint correctiones, 145; statuit quid pecuniæ possint Sup. recipere a sacerdoti etc. 275; normas præscribere potest si quid reparandum etc. 354; normas dat pro confessariis puellarum, 367.  
*Defuncti* - (cfr. *Suffragia*).  
*Deliberationes* - Cap. prov. a quo adprobandæ, 121; id. Cons. prov. 137.  
*Delicta* - quot requirantur ad dimiss. rel. a votis soll., 384.  
*Depositum* - pecuniæ qua ratione permittatur, 222, 275.

**Devolvere** - quando devolvatur ius nominandi Consiliarios prov. 118, 120; id. de *Præp.* prov.  
**Dignitates** - (cfr. *Officiales*).  
**Dimissio** - *relig. a votis simpl.*, 377-380: cum voto Cons. gen., 70 § 3; causæ dimiss. manifestandæ, 379.  
—*a votis soll.* cum voto Cons. gen., 70 § 3; 381-394; processus instruendus, 381; monitiones præmittendæ 387; quid insuper præmittendum, 388.  
**Dimissoriae** - (cfr. *Litteræ*).  
**Disciplina** - eius neglectus puniendus, 155, 377, 300, 373; (cfr. *vita regularis*).  
**Divinare** - seu coniectare res Cap. gen. etc., ne permittatur, 200.  
**Doctrina Christiana** - a Nostris complectenda et promovenda, 4, 302; fratribus tradenda, 269; orphanis, cfr. cn. 1330-1331; seminaristis et convictoribus, 363; cn. 1367; a parochis explicanda, 302; (cfr. *Catechesis*).  
**Documenta** - *adspirantium* ad habitum, 315;  
—(cfr. *Decreta Cap. gen.*);  
—*electionis Sociorum* cui mittenda, 110;  
—*publica* a quibus conficienda, 69 § 3, 138 1º.  
**Domestici** - (cfr. *Hospites*).  
**Domicilium** - non relinquendum, 243.  
**Domus** - seu *communitas maior*, quæ, 108 4º; formata vel non formata, 108 3º.  
—*nova recipiendæ*, 147, 152; satius providere fundatis quam novas recipere, et cui proponeundæ 147; qui consensus requiratur in scriptis, 148; quid præscribat ius commune, 148; cautela adhibendæ, 149; nullus ex Nostris a deat habitatus nova loca sine rescripto S. Sedis, 150; orphanotrophia præferenda, 151; quæ subsint visitationi Ordinarii, 148; supprimi non potest domus religiosa sine bene-

placito S. Sedis, 148; quomodo et a quo recipienda, 152.  
—*novitiatus*, a quo designanda et canonice erienda, 319.  
—*Studiorum*, 340-341; (cfr. *Sedes studiorum*).  
**Dona** - non accipienda nec danda a viatoribus et hospit., 250; (cfr. *Munera*).  
**Donationes** - non permittendæ nisi etc., 219; cn. 587.  
**Dubitatio** - (cfr. *Interpretatio*).

**E**

**Effigies** - *S. Hieronymi P. N.* in omni domo sit et in orphanotrophiis, 360;  
—*Iesu Christi crucem gestantis*, 355; (cfr. *Stemma*).

